



4103

R. XVI. G. no. 204.

3406



CONFESSI-  
ONIS VVALDEN-  
SICAE, IN CAPITIBVS  
ab Augustana Discrepantibus,  
NOTATIONES,

RESPONSIONI  
IAM PRIDEM EDITAE,  
nomine Fratrum Bohæ-  
micorum,  
OPPOSITÆ.

IOHANNE HEDERICO  
S. Theologiæ D.

ADDITÆ SVNT CELE-  
berrimorum quorundam Theo-  
logorum, & nonnullorum  
Pastorum Epi-  
stolæ.

Francfurti ad Oderam  
Typis Nicolai Voltzij excu-  
sæ.

Anno 1602.





ILLVSTRI ET MA  
GNIFICO DOMINO Dn.  
IOHANNI ZBOROVIO ARIT  
vian, Castellano Gnisnensi, Odala  
noviensi, Graudentino, Volpensi, Dubensi, &c.  
Capitano, Hæredi in Pleschau &c. strenuo pu  
rioris Christianismi cultori, & excolentium  
illum patrono & fautori, magnope  
rè observando.

ILLustris & Magnifice Domine,  
Domine reverenter colende, Superioribus  
annis, scripto primum Latino sermone, in  
Francofordiana, & postea Germanico in Lip  
sensi Academia edito, complexus sum Exami  
nationem doctrinæ & disciplinæ Fratrum, vul  
go VValdensium, & ex proprijs ipsorum o  
pusculis & verbis, recensui ea capita, quibus  
palàm discrepant, ab Ecclesiis Augustanæ Cō  
fessionis, ad quas tamen ipsi, post repurgatam  
in his regionibus doctrinam, provocare, &  
de earum consensu publicè privatimq; gloriari  
sunt soliti. Qua autem fide, & quo illud factum  
sit sine, & adhuc fiat, res ipsa abundè ijs in lo  
cis, in quibus hætenus suam fixerunt sedem e  
docuit, quando magis Confessionis huius no  
stræ patrociniò, ut & disciplinæ singularis suæ  
prætextu, sese incautioribus, clam domos eo  
rum subeundo, insinuarunt, à reformatis Ec  
cles

(a) 2

## PRÆFATIO.

clesiis, & legitimis Pastoribus oviculas quasi furtim abstraxerunt, ædificationem earundem Ecclesiarum impedierunt, & illas ubi potuerunt penitus exturbarunt. Id quod tam de alijs plurimis, quam de Polonicis passim constat Ecclesiis, quæ cum in multis locis, ante Fratrum istorum, e sua, in qua se verè domi & natos esse scribunt, patria Bohoemia, excursionibus nostræ essent Confessioni addictæ, ab ipsis tandem seductæ, & à legitimo suo Ministerio prorsus abductæ sunt. Quamobrem ut ego, qui superiori tempore, legitima vocatione inter Moravos, & in vicinia ipsorum, ad Ecclesiasticum munus administrandum, accersitus eram, post annos plures, quibus ibidem vixeram, & singula rectius, quam alibi fieri poterat, de ipsis cognoveram, scripto me aliquo opponerem, ob causas factum est plurimas & gravissimas, quas ab exordio eiusdem opposui. Idem scriptum meum, ante & circa editionem, subiectum est iudicio Magnificorum quorundam Dominorum, & præstantiorum Theologorum atq; Pastorum, qui tam inter Bohemos, cum quibus Fratres patriam communem habent, quam inter Germanos, officijs fungebantur. Hi sanè illud diligentius perlegendo, & singula ponderando, non solum Ecclesiis nostris necessarium, & usui futurum iudicaverunt, sed aliqui etiam ex illis, vel publicè vel

privatè

## PRÆFATIO.

privatim, pro communicatione eiusdem gratias egerunt.

Hoc igitur opusculum meum, cum horatu multorum, & in primis Heroico, quodam impulsu, atq; sumptu Magnifici Dn. Ioannis Spanoffsky Senioris à Lysau in Patzauo cui in æternum benè sit, semel typis excusum esset, passim rumores spargebãtur, de Responsione, à Fratibus Bohœmicis, adversus illud adornata, cuius inter alios ratione styli Autor esset, quidam Sacramentarius, professione non Theologus, sed Philolophus, qui è Saxonia profugus, pauló ante nomen suum societati VValdensicæ, idem secum sentienti dederat. Sed nec mihi, nec alijs, Confessioni nostræ addictis, in eadem Moravia: provincia tunc versantibus, quicquam eiusmodi, quod meo libro oppositum esset ( quantiñ scio ) videre contigit. Præterea illud postea fama publica addebatur, fore ut alio tempore, nimirum post mortem meam, & ubi jam libelli mei exemplaria omnia essent distracta, Responsio ista divulgaretur, ne hoc modo mea dicta & verba, cum illa amplius conferrentur, nec veritati laboranti mature testimonium perhiberetur, nec varijs obrectationibus, eidem Responsioni insertis, aperte occurreretur. Post triennium tandem, & longam societatis VValdensicæ consultationem, quædam

## PRÆFATIO.

dam pagellæ, Bohœmica lingua excusæ prodierunt, cum hac inscriptione, ex suo idiomate redditæ: Brevis Protestatio Unitatis Fratrum, ad cavillatoria, contra eam hoc tempore edita scripta. In ea nominatim me & D. Nicolaum Selneccerum, qui Præfationem luculentam, Germanico meo scripto (cuius tamen copia, ut corrigerem integrum, ante editionem non mihi erat facta) præmisit, admodum odiose quidem perstringebant & exagitant, nullum verò caput, quo ab Ecclesiis Augustanæ Confessionis, discrepare eos ostendi, in specie attingebant, sed vel tergiversando, vel negando quæ vera sunt, vel convicia nobis faciendo, elabi conabantur. Etsi igitur Antiprotestationem quandam, jam tum conscripseram, & per numeros, quæ ab illis confusa, & non sine crambe bis cocta, erant exposita distinxeram, ac brevioribus refutaveram: non tamen eam publicè edendam censei, sed saltem amicis legendam exhibui, ut hoc modo etiam re ipsa aut facto, nec verbis tantum declararem, minimè (cuius falso Antagonistæ multoties in Responsione sua me insimulant) rixandi & disceptandi cupiditate me inflammatum esse, & non iustis de causis, aut oblata quacuncq; occasione, cum quibusvis, mox in harenam descendere. Nihil addo de rythmis Germanicis, antea in causa denegatæ (ut fingunt) sepul



## PRÆFATIO.

pulturæ, è Synagoga ipsorum, contra me publicè editis, quibus saltem privatim à me responsum est redditum.

Ne verò prorsus ea, quæ in Protestatione VValdensium, non sine contumelia & injurijs mihi obijciabantur, silencio præterirem, aliquid quam eius in genere mentionem feci, in Oratione altera, quam legitima vocatione ex Moravia, ad officium Superintendentis, Brunsvigam accersitus, ab initio lectionum Theologicarum Anno 1586. habui, de Origine & causis certaminum de Religione &c. Magdeburgæ typis excusa. Inter alia igitur monui, ut Fratres Bohæmici, quod à me præstitum esset, rationibus ex sacra Scriptura, & consentiente cum illa Confessione Augustana petitis, adeoque argumentis veris, & minimè convicijs mecum certarent, & causam suam, si saperent, tuerentur. Addidi & hæc: Si negando intelligentibus satisfacere volunt, necesse est, ut quas jam olim & recens Confessioni suæ, multoties mutatae, & Apologiae suæ, multisq; alijs libellis corruptelas inseruerunt, & quæ vicinis ipsorum, inter Bohæmos & Moravos (quibus addo Polonos, Prutenos, & ex Silesiis nonnullos) præterea injuriæ, erga Ecclesias nostras, rectius quam exteris, eos defendentibus, cognitiæ ac molestæ sunt, pernegent, & è medio tol-

(a) 4

lant.

## PRÆFATIO.

Iant: Vel si confortes nostri (quod non raro simulant) volunt haberi, apertè sine longiori distractione, & turbatione Ecclesiarum vicinarum, se nostris cœtibus adiungant, & singulari sua Confessione, & societatis obligatione abrogata, nostræ Confessioni, eiusq; declarationibus subscribant. Quod ubi nondum fit, minime putent, se nunc cordatis, in nostris Ecclesiis imposituros, quod superiori tempore De. Luthero & alijs, ab eorum conventiculis (aut Synagogis) longè remotis, & non rectè de erroribus ipsorum informatis accidit, &c. Ibi dem in præcedentibus respondi ad illud, quod toties inter alias *Βωμολοχίας* mihi obijciunt, nulla me pacis & charitatis cura affici. Ostendi igitur de præscripto verbi divini, cuius testimonia addidi, Concordiæ sinceræ fidei, non esse præferendam Concordiam charitatis, & pacem CHRISTI ac Spiritus divini, pluris esse faciendam, quam pacem civilem & externam. Est enim Concordia Relativum, cuius fundamentum est consensus de Religione & Doctrina, quo jacto sua sponte in cæteris sequitur, coniuncta cum charitate consensus &c.

His paucissimis, observata lenitate, censui tunc ea esse notanda, quæ non sine magna asperitate, Fratres Bohœmici, suæ adversus me, & scriptum meum Protestationi inseruerant, &  
jam

## PRÆFATIO.

jam decreveram, si non quicquam simile, aut  
acerbius mihi offerretur, me inter perpetuas,  
vel functionum vel studiorum occupationes,  
in ætate mea nunc ingravescente, de his dein-  
ceps multis non disputaturum, sed alijs id per-  
missurum esse, præsertim cum mihi & multis  
bonis, in eo aliquo modo satisfactum videretur,  
quod occasio plures ex nostris Ecclesijs, in  
posterum abalienandi, & ad societatem suam  
pertrahendi, V Valdensicis Ministris nonnulla  
ratione, quod passim, & imprimis in Ecclesia  
vicina, mihi tunc commendata, res ipsa edo-  
cuit, præcisa esset. Nec multa de eo subijcio,  
quod mihi aliquo modo, passus eram persuas-  
deri, non quævis *ἐκ προαίρεσως καὶ περιεσ-  
κεμμένως* ab ipsis, sed *ἀπρονοήτως καὶ ἀπερι-  
σκεπτώς* Confessionibus inserta, aut adversus  
nos & Ecclesias nostras hæctenus tentata & ad-  
missa esse, Vnde censui cedendum esse tempo-  
ri, & utrinq; quiescendo aliquando futurum,  
ut sponte quædam corrigerent, ac si de sancto  
D. Lutheri consilio, vel potius ipsius Apo-  
stoli mandato 1. Cor. 1. ̄. 10, pauciora no-  
lint esse schismata, saltem minus exorbitando,  
cautius sua in posterum administrarent. At ve-  
rò DEO Clementissimo, omnium conscio,  
qui quævis tam benè quàm malefacta, tandem  
in apricum profert, & veritatem haudqua-

(a) 5

quam

## PRÆFATIO.

quam opprimi, ipsumque timentes, ac bonam causam tuentes, non penitus à malefariis, clam traducendo & obtrectando conculcari sinit, omninò vilum fuit, ut Responso ipsorum plus quam acerba, tempore admodum longo, intra privatos Antagonistarum parietes agitata, mihi adhuc in terris superstiti exhiberetur. Etenim missa ad me fuit in Saxoniam Inferiorem à Polonia, anno octavo decimo, post scriptum prius meum, Latine editum, quemadmodum indicat annus M. D. LXXXI, qui solummodo post inscriptionem aut titulum, omissa loco in quo, & Typographo, à quo fuit excusa, assignatus est. Adiunctæ autem erant libello, literæ Pastoris cuiusdam, doctrina & virtute præstantis, qui in primaria quadam Poloniæ urbe, ad annos plures, inter pericula haud vulgaria, Ecclesiam Augustanæ Confessionis fideliter docuerat. In his inter alia hæc consignata erant: Multa passus sum, à falsis illis Fraterculis, quorum fraudes atque imposturas, cum in doctrina tum in vita, non voce modo, verum etiam sæpe scriptis, acriter perstrinxi, quemadmodum & tu, edito contra illos publico libro, laudabiliter fecisti. Qui cum illis à me crebro opponeretur, & cur non responderent obijceretur, mirè confusi sunt. Ante triennium tamen, se habere responsum in promptu gloriati sunt, at evulgare illud noluerunt.

erunt

## PRÆFATIO.

erunt, ne à te, data tali occasione, pluribus scriptis oppugnarentur. Nam N. ille, cuius charta mittitur, qua nescio sanè arte exemplar hoc nactus est, & ut ad id respondeas, toto pectore desiderat. Quod ne negligas obnixè oro, cum id **SUMMA ECCLESIAE NECESSITAS** omninò requirat, præsertim in **POLONIA**, ubi à Secta illa multi seducuntur. Dimicat contra eosdem & Benedictus Morgenstern, Pastor Ecclesiæ Graudentinæ in **PRUSSIA**, ubi suos quoq; hypocritæ illi fixerunt nidulos &c.

Ex quibus sanè literis, ut & multorum honorum, similibus suffragiis & elogijs, quæ quovis tempore proferri possunt, satis perspicitur, libellum hæcenus meum, non suo, eoq; in Ecclesijs nostris necessario, caruisse usu. Deinde ex plurimis, Nobilium & ignobilium, sicut & doctorum atq; indoctorum hominum testimonijs, magis ac magis patefiunt, improbi conatus & technæ Fratrum istorum, quibus in pelliciendis & pertrahendis, ad societatem suam auditoribus nostris jam pridem utuntur, quas tamen contra tot, tamq; digna fide testimonia, & ipsam experientiam, sive ocularem demonstrationem, per totam Responsionem suam, adversus me editam, ἀναδημόνως, pernegare audent. Hinc etiam intelligitur, non si  
nepe

## PRÆFATIO,

ne periculo inter ipsos vivere illos, qui se erroribus & injurijs ipsorum opponunt, cum & hic venerandus Vir multa se ab ipsis passim scribat, quamvis ut cœtera obiecta, ita hoc quoque prorsus negent. Præterea hinc cognoscere licet, ipsos Apologetica scripta & commenta, quibus sua & maiorum suorum inventa, propugnare conantur, ἀπατηλῶς occultare, vel saltem aliquibus, quos sibi obligatos noverunt, privatim communicare, ut iusta tempestive respondendi occasio, his præcidatur, quorum maximè, & in omnes interest partes. Unde singulari arte opus fuit, ut exemplar Responsionis ad me missæ impetraretur, quod fortè nec tum impetratum esset, nisi fama, sed incerta fuisset sparsa, me tempore isto, quo pestis in oppido Helmstadiensi grassata fuit, extinctum esse. Quod verò ratio, hæc prætenditur, ipsos esse veritos, ne à me data tali occasione, pluribus scriptis oppugnarentur: id sanè minimè opus fuerat ut metuerent, si ea qua decebat, moderatione, rem aggressi, inter tot errores monstratos, se aliquo modo dociles, & admonitionis patientes præbuisissent, ac si non falsitate, sed veritate, non figmentorum multiplicium vanitate, sed rerum propositarum gravitate, nec conviciandi nimia acerbitate, sed promissa quidem verbis, re ipsa autem non præstita leni

## PRÆFATIO.

lenitate, usi essent. Nam si ἀκρατῆς λογισμῶν καὶ θυμῶν non vehementior in ipsis tuisset, & si per eam stylum, temperare potuissent, facile ab eiusmodi oppugnatione, deinceps abstinere, & totius causæ, ut tractationem uberiores, ita & iustiores cognitionem, ad suum locum reijcere potuissem. Id quod antea me pacis, quantum salva veritate & conscientia licet, studio, accepta ipsorum Protestatione, ita præstitisse, ostensum est. Nunc verò postquam Responsio illa, ante tempus adeò longum, in patria Fratrum, sive Bohæmia, aut Moravia typis exscripta, clam inter consortes ipsorum distributa, & insuper in remotioribus locis, utpote in Polonia, ad premendum tam me quam Ecclesias nostras recens fuerit prolata, facere non potui, quin ratione Professionis Theologicæ, & eiusdem conscientiæ meæ, ad summam necessitatem illam me accommodarem, quæ voce & literis bonorum, mihi denunciata, imò & inculcata fuit.

Cœterum ut hoc quoque inseram, fieri sanè potuit, ut non omnibus Unitatis, (quam vocant,) istius Senioribus, de editione huius Responsionis initio constaret, sicut paulò post Exordium Protestationis suæ, triennio post priorem Antithesin sive Examinationem meam divulgatæ, subindicare videntur. At verò si hoc  
ita

## PRÆFATIO.

ita se habet, ac si tum jam prospexerunt, quod  
lis litem serat, & flamma fumo sit proxima,  
quod dici solet, cur inter manipulares suos ean-  
dem Responsionem Titulo Fratrum Bohæmi-  
corum, extare, & ad tempus occultari volue-  
runt, & cur non maturè ac penitus ut æquum  
fuerat è medio sustulerunt, præsertim cum ibi-  
dem plures exponant causas, ob quas ipsi cer-  
tamina, cum Antagonistis suscipere nolint &  
Præterea si in theatrum Ecclesiasticum, ea re-  
vocari non volebant, quæ ante longos jam  
annos agitata, & penè sopita erant, cur Ex-  
emplaria Responsionis eiusdem, proximis de-  
mum annis, ex Bohæmia aut Moravia, in Pos-  
loniam perferri, & ibidem alijs insinuari per-  
miserunt. Id sanè alio fine & consilio haud  
factum censeri potest, quam ut ea, quæ à me in  
usum nostrarum Ecclesiarum, & defensionem  
sinceræ Confessionis nostræ scripta sunt, hinc  
inde fide haud bona, κατὰ νότον, & me nesciēte  
everterēt, cuniculis oppugnarēt & quæ à me ve-  
rè de ipsis exposita sunt, incautionibus falsa esse,  
& ementita persuaderent. Etsi igitur hi quoq;  
Seniores ac Præpositi Fratrum, in eadem Pro-  
testatione sua inter alia scripserunt, quod mihi  
præter cæteros, verba ipsorum formalia citan-  
ti, & argumentis disputanti, sæpè totum con-  
cedant argumentum, sive illud omnibus pro-  
betur, sive non probetur: attamen cum nihi-  
lominus huic Responsioni, pleraq; neganti, fal-  
sissimè



## PRÆFATIO.

missima quæcūq; hinc inde adfuenti, & me acer-  
bilissimè criminanti, atq; convicijs impetenti,  
locum reliquerint, ut ὁμολογησῶσι & cum facie-  
rentibus consentientes, vacui culpa cenleri non  
possunt. Unde & sibi ipsis imputabunt, sicut  
ubi in posterum intelligent, prudentes se in flamma  
manum misisse, & ubi licebat fugere li-  
stem, ipsis eam non quærendam fuisse, ut sapi-  
entum parcemiæ habent. Viderint etiam syn-  
ceri in Ecclesijs repurgatis Pastores. num per-  
petuò connivere, & non potius subinde  
Valdensicis Ministris reclamare debeant, ubi  
quidem in templa eadem cum ipsis ingredi re-  
cusant, in privatis autem angulis aut ædibus,  
in contemptum publici Ministerij, in uno eor-  
demq; oppido aut pago concionari, & sæpe  
contra doctrinam, & personas Pastorum, inve-  
here haud verètur. Qua de re in his Notationib.  
& ad finè earū, postea ad convincendū Respon-  
dentes, querelæ eorum quoq; inferendæ erunt,  
qui ipsorum consortes fuerant, vel propius ad  
Fratrum Bohæmicorum Confessionem acce-  
dentes, paucis exceptis, cum ipsis consentie-  
bant. Hi ergò quamvis in re Sacramentaria,  
partibus Cingli aut Calvinij, pariter adhære-  
ant; tamen ad eorum testimonia post alios  
provoco, non quod cum illis (quod etiam te-  
merè Respondentes mihi obijciunt) conspira-  
verim, sed ut intelligatur, cum nimis iniqua,  
VVal

## PRÆFATIO.

VValdensicorum excursorum quæsitæ & criminationes, doctrinæ ipsorum adstipulatores, ferre nequeant, multo minus nos posse aut debere eas ferre, utpote qui insuper in pluribus dogmatum capitibus, eos discrepare à nostra Confessione novimus. Præterea præfractè objecta negantes, certius & evidentius convinci non poterant, quam illorum verbis & scriptis, qui vel ipsi aliquando addicti erant, vel qui inter ipsos docuerant & vixerant, utpote, qui eorum de quibus disceptatur, testes fuerant oculati, quorum uni meritò, quod dicitur, plus fidei, quàm auritis decem adhibetur.

Equidem non video etiàm, quomodo ad DEVM & ad homines, id excusare possim, si non multiplicibus calumnijs, vellicationibus & figmentis, Responsioni hinc insertis, & in me iniustissimè congestis, palam contradicerem. Talia sunt: Quod contra Acta Conventus Pragensis Anno 1575. habiti, agere cœperim, ipsosq; ab Ordinibus Regni distraxerim, cum tamen seipsum, segregatam suam Confessionem & constitutiones Ecclesiasticas (de quibus hic & non de politicis, agitur negotijs) retinendo, disjunxerint, & adhuc disjungant, de quo Notatione XIV. & XV. de Proœmio. Quod resuscitaverim in locis istis, Sectam dogmatis Ubiquitarij, cum tamen illud  
dilect

## PRÆFATIO

tertè præciderim in meo libello, & alias palam  
idem improbaverim. Ibidem Notat. XVI.  
XVII. Quod Augustana Confessio, & libri  
Lutheri, S. Scripturæ à me æquiparentur, imò &  
preferantur, licet longè alio respectu a me,  
contra ipsos urgeantur, & ipsi potius Maiores  
suos, atq; observationes ipsorum, sacris literis  
æquiparare, imò & præferre soleant. Ibidem  
Notat. XXVI. & de prima parte Exam. Not.  
XIV. Quod ipsos & alios ( simpliciter ) dam-  
nem, & Ioh. Hussum pro hæretico habeam, ubi  
Lutheri de illo verba, alio sensu & respectu  
recito, parte prima Not. III. Quod propter  
Ecclesias nostras, excitaverim turbas, quarum  
tamen ipsi Ministri Fratrum sunt auctores, Ibi-  
dem Notat. XVI. Quod blasphemiam sim re-  
us, ubi verbis Lutheri, & Saxonicae Confessio-  
nis, contra sententiam ipsorum, de localitate  
corporis CHRISTI in cælo, & quidem simi-  
litudinis saltem loco sum usus, cap. 1. Discre-  
pantiæ Not. VI. Quod fidei dominari ausus  
fuerim, ubi scandalum desertionis, in Ecclesia  
mea, permittere nolui, cap. 2. Notat. VII.  
Quod crudelitatem, in mortuum Civis nobi-  
lis filium exercuerim, licet tantum funeris de-  
ductionem, iusta cum conditione, non verò  
sepulturam detrectando, cum patre vivo,  
eoq; obstinato, mihi negotium fuerit. Ibi-  
dem Not. XII. & cap. 3. Not. XIII. Quod

(b)

prorsus

## PRÆFATIO.

prorsus omnes ( è Ministris ) condemnem, atque  
tibus Philosophicis minus excultos, cum tamen  
infortitiae aut ruditatis eos solummodo ac-  
cusem cap. 4. Notat. VI. Quod loco de  
Sacramentis, ineptissimè particulam de Ele-  
ctione divina attexuerim, cum tamen non es-  
go sed ipsi in Apologia sua, particularitatem  
promissionum Evangelij introducendo, &  
contemptui Sacramentorum, ( quæ adminis-  
trationes externas nominant ) patrocinan-  
do, prolixè id fecerint, cap. 6. Notat. XII.  
Quod multò durius, quàm ipsi vel Sacramen-  
tarij, meus Lutherus sit locutus de S. Coena,  
ubi scripsit, Sacramentum & corpus CHRIS-  
TI sic differre, ut nec Oriens nec Occidens  
tanto distinguantur &c. cap. 8. Notat. IX.  
Quod legem divinam de Imaginibus Leviti-  
cam esse, & ad ceremonias tantum ac typos  
pertinere sentiam, licet adorationem & cul-  
tum imaginum, & ipse omninò damnem, cap.  
9. Notatione VII. Quod in loco de Coelibat-  
u misceam & confundam universos, qui sine  
uxoribus, vel extra Conjugium vivunt, cum  
tamen de plerisque tantum, aut de illis qui dono  
abstinentiae carent, loquar, cap. 10. Not. IX.  
Quod magnos & excellentes viros, quorum  
testimonijs ipsos mala fide abuti solummodo  
ostendo, ignominia afficiendos, notandos,  
examinandos & exagitandos susceperim, de  
Appen-

## PRÆFATIO.

Appendice Notatione I. & VII. Quod Lutherus seipsum iudicio VValdensium sine aliquo respectu subjecerit, & universa mutaverit & correxerit, imo & funditus sustulerit, quæ durius in ipsos dixerat, Ibidem Notatione VI. Quod nihil periculi nostris, inter ipsos metumendum, aut insidiæ illis unquam structæ fuerint, Ibidem Notatione X. Quod non agnoscant, in aliquibus istis capitibus, sanam & orthodoxam meam doctrinam, licet in specie eadem non exprimant, Ibidem Notat. XIII. Quæ singula, & pleraq; alia, cum omninò à veritate sint aliena, & ego longè aliter de his, DEI beneficio, mihi sim conscius, nequaquam diutius mihi dissimulanda, aut silentio comprobanda fuerunt. Quanquam rectè iudicantes, instituta collatione, cum priore scripto meo, facile & ipsi intelligent, non nisi ex malicia insigni, odio hostili, & conviciandi in Respondentibus libidine vehementi, calumniæ huiusmodi, & nugas esse profectas. Unde etiam dum his de mea existimatione, multum detrudere conati sunt, turpem suo honori potius labem intulerunt. Nam frequentia cavillationum & conviciorum, contra jus & fas in me congestorum, ansam subministraverunt, ut in ipsos, quamvis *παρὰ γνώμην καὶ ἐκείνοι*, illa jure suo retorquerem, & ea quæ

(b), 2. mihi,

## PRÆFATIO.

mihî, dissimulatis criminibus proprijs, affinxerunt, subinde à me removerem.

Ex his ergò Illustris & Magnifice Domine ZBOROVI, I. M. T. haud obscure percipit, ad quem modum denuò ad certamen, cum Antagonistis VValdensicis suscipiendum, sive vel provocatus, vel præter voluntatem meam impulsus, & cur Notationibus, in hoc scripto compræhensis, Responsioni ipsorum, omninò occurrendum fuerit. Id quod scriptum I. T. M. offerendum, & publicè inscribendum censui, quod jam pridem familiæ I. T. M. vetustas, officiorum præclare administratorum dignitas, virtutum rariorum celebritas, & meritorum erga Ecclesiam & Rempublicam ubertas, in his etiam nostris partibus innotuit. Inprimis verò nuper ex Proœmio eius Tractatus, quem Reverendus Senex, D. Benedictus Morgenstern I. T. M. dedicavit, non sine singulari voluptate animi percepi, inter cæteros Regni Poloniæ inclytos proceres, I. T. M. hæctenus laudabiliter suam declarasse omnibus, sanctam constantiam, in agnita semel doctrinæ cœlestis puritate, sicut ea in scriptis Propheticis & Apostolicis tradita, & in Augustana Confessione, eamq; declarantibus scriptis, nostro hoc tempore est repetita. Hanc enim sanam doctrinam,

doctrinam.

## PRÆFATIO.

Strinam, non solum I. T. M. rectè pieq̃ inde  
à teneris perdidicit, sed etiam deinceps, contra  
non unius generis Antagonistas, ipsosq̃ hypo-  
critas VValdensicos, eiusdem conseruationis  
nem & propagationem, sibi semper ac fideli-  
ter, curæ atq̃ cordi esse permisit. Illud etiam  
arbitror I. T. M. non fore cognitu injucun-  
dum, quod magna ex parte, eosdem Syno-  
dus Posnaniensis ( cuius Acta in prædicto de  
Ecclesia Tractatu exprimuntur ) errores Fra-  
trum Bohæmicorum, maturo ac gravi iudic-  
io, jam olim notaverit, quos ego in priore  
& hoc meo scripto, ex eadem Apologia, &  
alijs tam antiquioribus, quam recentioribus  
ipforum Confessionibus consignavi, licet ca-  
pita illius Synodi, adversus VValdenses agi-  
tata, nec visa mihi antea, nec lecta fuerint. Sic  
ibidem recensentur eiusdem generis, vel atro-  
ciores etiam iniuriæ, quibus ab ipsis Ecclesiæ  
Augustanæ Confessionis in Polonia, non so-  
lum affectæ & turbatæ, sed nunc ferè penitus  
exturbatæ sunt. Vnde haud abs re colligitur,  
eam esse ac tantam veritatis coelestis, rectè  
probeq̃ ex fontibus Israelis haustæ conditio-  
nem, ut ad eius præscriptum, ac synceram in-  
formationem, inter omnes fideles, quamvis  
quo ad externam conversationem, non simul  
degant, & eodem tempore vivant, sed hinc  
inde in mundo dispersi sint, & insuper varijs

(b) 3

Sectar.

## PRÆFATIO.

Sectarum monstris cingantur, ac falsorum fratrum dissidijs offendantur, tamen idem unuscūq; sit, de ratione salutis veræ obtinendæ consensus, eadem in CHRISTI voluntate unitas, idem Spiritus, idem Verbum, eadem Sacramenta, idem cultus, eadem agnitæ veritatis apud omnes Confessio, eadem vitæ genera, in quibus quisq; DEO serviat, & tandem idem de injurijs, falsitate aut contrarijs judicium. De eo quoq; multa nunc non addo, quod cum Responsio Fratrum Bohæmicorum, ex Polonia ad me missa fuerit, æquum esse visum, ut scriptum meum, quod illi omninò opponendum fuit, in eodem Regno, splendidioris ac celebrioris cuiusdam familiæ Patronum acquireret, ac sanè talem, qui dextrè necessitatem illius summam, de testimonio literarum, quas antea citavi, pro fide, pietate & doctrina sua eminentiore intelligat, utq; ubi opus est, adversus contradicentes ~~illud~~ comprober, & animo æquiore suo testimonio sublevet. Quare Illustri Tuæ Magnificentiæ, qua par est submissione, hoc scriptum offero, eandemq; reverenter oro, ut serena quemadmodum alioqui solet, fronte illud suscipere, meq; nunc DEI beneficio sexagenarium, & operas meas Theologicas, diversis Ecclesijs, Academijs & Scholis illustribus, supra annos XXXIV. usu suo cognitæ & perspectas, sibi cōmendatas habere dignetur.

dignetur



# PRÆFATIO.

dignetur. DEVS ille quem Optimum, propter bonitatem, & Maximum propter sapientiam, & potentiam summam prædicamus, pro infinita hac bonitate, sapientia & potentia sua I. T. M. cum domo & familia sua Illustri, omni genere bonorum, spiritualium & corporalium, florentem, affluentem & eminentem, perpetuum seruet, regat & protegat Amen.

I. T. M.

*Reverenter colens*

Johannes Heidenrichius  
S. Theologiæ D.



AD

AD REVERENDVM ET CL: VI-  
rum D. IOHANNEM HEDERICVM,  
Doctorem & Professore[m] Theologum, ex  
Academia IVLIA sponte discessurum.

**D**ñ nunc est animo tibi IVLIA linquere cultus  
Pulpita doctrinae nobilitata tua, (bavit  
Quis te abigit? quis? nemo: tuã quin ipse pro-  
DUX operam, & dignam censuit aere suo.  
Nec nostrũ est quisquã, qui te velut ante, Senat9  
Præcipuum nostri non velit esse decus.  
Nã quẽ non virtus tua, docti & pectoris artes,  
Et pacis studium, Candor & Integritas  
Devinxere tibi? nostris complexibus ergo  
Quæ te intemperies subtrahit? ecquid agis?  
An fatale aliquid quod voluitur impete seclì  
Prospicis, & privæ consulis inde Rei?  
Sit quodcunq; gemüt Musæ, gemit a! mo Apollo  
Qua sese Aonijs exerit Elmus agris,  
Et quando inviti non est revocanda voluntas,  
Per totum hoc voto te comitantur iter:  
I quo te tua fata trabunt, & prævia virtus,  
Teq; sinet quæ non fama latere diu:  
Sis felix Hederice DEI celeberrime Præco:  
Sed quid opus votis, fata ubi cuncta favêt?  
Iam tibi dispexit digna de sorte IEHOVAH:  
Nam quæ non tanto sors sit amica Viro?  
Salomon Frencelius à Fridenthal,  
Iubens nõ lubens, olim Præcept:  
& nũc Affini ac Coll. suo fac.

DECANVS, SENI-  
OR, ET CÆTERI PRO-  
fessores ac Doctores Facultatis The-  
ologicae, in Academia Fran-  
cofurtana

*Lectori benignissimo salutem  
& gratiam, à Deo,  
P.*

**P***ersuasum est quibusdam,  
nostris temporibus, haereses,  
velut fidei rectae carcinomata  
& pestes, non esse cognoscen-  
das: ne vel simpliciores offen-  
dantur, inq; religione Christia-  
na nullam statuunt esse certi-  
tudinem, variantibus tantope-  
rè sententiis & opinionibus:  
A neve*

neve labis & contagionis alis  
quid contrahant illi, quibus ar-  
guta nonnunquam heretico-  
rum tacite arrident, sophisma-  
turnq; usus sensim inter legen-  
dum obrepit. Quibus Theodo-  
retus cordate satis respondet, in  
Epitome sua ἀπεληκῆς κακομυθίας;  
Non eo animo recitari vel au-  
diri vanos istos errores, teter-  
rimum odorem spargentes, ut  
libenter audiamus & ample-  
ctamur: sed ut alios doceamus,  
quæ recta, quæ publica via sit,  
à Prophetis & Apostolis trita:  
quæ verò hereticorum orbita,  
ad interitum abducentes, Nec  
enim

enim Medici qui de venenis  
Et deleteriis libros componunt,  
uti iis vel iubent, vel docent  
homines: sed potius effugienda  
dorum rationem monstrant.

Proinde rectissime ab iis fieri  
statuimus, qui sive veteres, si-  
ve novos exhibent in theatro  
Ecclesiastico Sectarios: nec sal-  
tem paradoxa illorum nudè re-  
censent, sed ad Canonem verbi  
cœlestis insuper pensulatiè exa-  
minant, ut quàm obliquo flexu  
à veritate devient falsa, legen-  
tes animadvertant, tantoq; ca-  
veant diligentius, quanto spe-  
ciosius illa vel illinuntur vel

A 2

pin

pinguntur. Si ex D. Hiero-  
nymi sententia, haereses tantum  
prodidisse, est confutasse: quan-  
to maioris ut laboris, ita fru-  
ctus existimabitur ea opera,  
qua haeticorum errores &  
produntur, & simul prolixè  
confutantur. Ab aliis alia ha-  
etenus & ostensa & profligata  
sunt, haeticorum atq; fanati-  
corum monstra: Germanis Pi-  
cardos, & Waldenses, in pri-  
mis Moravos atq; Bohæmi-  
cos, primus ferè suis depinxit  
coloribus Reverendus & Cla-  
rissimus Vir Dn. JOHAN-  
NES HEIDENTR EICH  
S. Theoz

S. Theologia Doct̄or, Eccle-  
siae CHRISTI praecipuis in  
locis Superattendens, Acade-  
mia JULIAE & nostra quon-  
dam Professor celeberrimus:  
ac collatione dogmatum isto-  
rum cum Augustana Confessio-  
ne, Ecclesiarum nostrarū quo-  
dam velut Symbolo, prolixè ut  
in priore, ita & hoc altero scri-  
pto instituta, ostendit, minimè  
eos *οὐκ εἶναι τὰ αὐτὰ κατόντι* hoc est, mi-  
nimè eadem incedere regula, ut  
loquitur Apostolus ad Philip.  
3. 16. & idcirco non pro dome-  
sticis fidei, sed pro extraneis, ut  
& Sacramentariorum, aut

A 3

Cal:

Calvinianorum sociis habendos esse. Horum Antilogiis dū passim oppeteretur, <sup>ad gratias</sup> paranda necessitatem sibi imponi rectè iudicavit, ne aut deseruisse prælium **J E H O V Æ** aut timidior fuisse etate iam ingravescente, aut labores recusasse, aut quicquam rogantibus aliis denegasse videretur. Non possumus non ergò Viri huius, tum alia in Ecclesiam **CHRISTI** merita, tum hoc propugnanda veritatis, falsitatisq; detegenda studium vehementer predicare: eiusq; cum doctrina nostra consensum

sum



sum viva quondam in hac A-  
cademia ante nos voce, nunc  
etiam scriptis totq; annorum  
coniunctione firmatum satis,  
ad omnes publicè contestari, &  
Lectores ingenuos hortari, ut  
quem inter alios sibi laborem  
sumsit Dn. D. HEIDEN-  
REICH adversus Walden-  
ses, gratum habeant, eoq; ad fi-  
dei constantiam utiliter fruam-  
tur. Filius DEI, qui lolia  
tritico admista, futurae messis  
tempore abiicienda tãdem præ-  
dixit, agri sui Ecclesiastici cur-  
ram porrò suscipiat, nec vel  
suffocari, vel extirpari, verbi  
A 4 sui

*Sui cœlesti semen patiatur, sed  
eo animos nostros perficiat, per-  
ducatq; ad sedem eam, ubi sum-  
ma erit puritas, Et pura secu-  
ritas, Et securae eternitas, A-  
men. Francofurti Cal. VIIIb.  
Anno Epoches Christianae*

*1601.*



**EPI**

EPITOME  
ANTITHESIS AV-  
GVSTANÆ ET VVAL-  
DENSICAE CONFSSIONIS,  
in Capitibus discrepan-  
tibus,

*Opposita Responsioni, edita no-  
mine Fratrum Bohæmicorum, quam ipsi iam  
pridem, ad Examinationem ejusdem Con-  
fessionis suæ conscripse-  
runt.*

**R**esponso nomine Fra-  
trum Bohæmicorum, ad Exa-  
minationem capitum doctri-  
næ ipsorum, Anno M. D.  
LXXXI. sine certo autho-  
re ( quia non una, sed plures  
in Bohœmia sectæ, Fratrum  
sibi titulum vendicant ) & ut in libellis famo-  
sis fieri solet, sine loci in quo, atq; Typographi  
à quo typis fuit excusa, adversus me edita, &  
demum post annos XVIII. ab editione pri-  
oris mei scripti elapsos, ad me, in Academia  
Julia Professore S. Theologiæ, tunc ad no-  
num usq; annum agentem, ex Polonia missa  
est. In ea quam maximè laboratur, ut cavila-  
lando,

PROOEMIUM.

lando, negando, mentiendo & convitiando  
 tegantur, involvantur & pervertantur illa, qui-  
 bus in examinatione mea, ex antiquioribus &  
 recentioribus Confessionibus Fratrum, falsa  
 dogmata sunt commonstrata, & iniuriæ ipso-  
 rum, erga Ecclesias Augustanæ Confessionis,  
 hæctenus in Bohoemia, Moravia, Polonia &  
 Prussia cognitæ & perspectæ nimis, verè & ap-  
 pertè à me detectæ fuerunt & expolitæ, eas ob-  
 causas, quas priori scripto meo inserui. Utun-  
 tur autem Respondentes mei præciso, ut lo-  
 lent, orationis genere, & pluribus in locis am-  
 biguo, & Examinationis quibusdam saltem  
 particulis, hinc inde arreptis, mala fide se & suæ  
 expedire conantur. Quam ob causam plea-  
 nius pleracq; (quod & in priore scripto promi-  
 seram) cum vel recensenda, vel comprobanda,  
 vel refutanda mihi denuò essent, opus  
 ipsum, sive Antithesis mea, præter opinionem  
 inter manus accrevit. Vtilum igitur fuit ope-  
 ræ præcium, ut Epitome & quasi *συνοψαφια*  
 eorum, quæ in illa sunt consignata, hic com-  
 præhenderetur, & Lectorum, qui brevitatis  
 essent amantes, ratio haberetur. Quo consi-  
 lio saltem nunc enumerabo, & brevissimè no-  
 rabo, multiplices cavillationes, figmenta, &  
 crassa Antagonistarum VValdensicorum inē-  
 dacia, quibus ea quæ vere, & maxima ex par-  
 te, ex proprijs Confessionibus ipsis obiecta  
 sunt, & quorum martyres isti admodum delia-  
 cati,

PROOEMIUM.

cati, & cuiusvis admonitionis impatientes, omnino sunt rei, sophisticè pervertere, temerè pernegare, maliciose eludere, & virulentia sua exagitare, in Responſione edita conati ſunt. Cauſæ ob quas mihi tandem ſilentium fuerit rumpendum, in Antithèſi aſignatæ ſunt. Etenim nequaquam id ſalva conſcientia, ferre potui aut debui, ut veritas manifeſta, tot modis diutius oppreſſa laboraret, & ut ego alijs plerisque videar eſſe delertor eiſdem veritatis, quam ſemel defendendam contra ipſos ſuſcepi. Præterea voce ac literis, viri preſtantes, recteque ſentientes, crebro ac graviter me hortati ſunt, ut hac in re rationem habeam S V M M A E ( ut ſcribunt ) N E C E S S I T A T I S Eccleſiæ, præſertim in Polonia, & eius vicinia, ubi hi Antagoniſtæ, non minus quam in Bohæmia & Moravia, auditores à noſtris congregationibus, quandocunq; poſſunt, abſtrahere, & ſuos coetus ( licet multis rationibus hætenus ſint confuſi ) iſdem præferre non deſinunt. Vnde & Lectores quocunq; cordatos mihi æquiores futuros, nec ullo modo calumnijs & figmentis, quibus pars adverſa cauſam agit ſuam, locum reſpectuſticturos eſſe conſido.

EX

# EX PROOEMIO RESPONSIONIS NOTATIONES.

**P** R I M A. Ab initio & postea creberrime, præterunt studium pacis, & mandatum Apostoli, in eam citant sententiam, eamque ob causam hæctenus, ad aliquot adversus ipsos edita scripta, se nihil respondere voluisse addunt. At verò de pace & charitate, affectu carnali iudicant, & politico more de ea statuunt, nec observant quatenus sit præstanda, nisi mirum ut veritas ei longè anteponatur, idque de mandato Divino Zachariæ 8. v. 20. Ephes. 4. v. 15. Quæ igitur pacis ratio, iure haberi potest aut debet, quando veritatis cœlestis, gloriæ DEI, & Ecclesiæ eius orthodoxæ, in his terris dissipatio & oppressio concurrat? Unde Respondentibus meis probè videndum erit, ne sint in eorum numero, de quibus I E R O V A H apud Ezechielem cap. 13. v. 10. gravissimè queritur, quod deceperint populum suum dicentes, Pax, pax: & non est pax, &c. Cui illud Nazianzeni addo: Laudabilius est bellum, quàm pax ea, quæ nos à DEO disiungit.

II. Scribunt, se jam pridem rationem fidei & religionis suæ, secundum præceptum D. Petri, simpliciter & candidè reddidisse &c. Contra, quod simplicitate & candore iusto, in eo,

## NOTATIONES.

In eo non sint usi, testantur edita & conscrip-  
pta ipsorum Acta, cum D. Luthero, cum Syn-  
nodo Polnaniensi, à Ministris Augustanæ  
Confessionis Anno 1567. habita, & cum  
Magnifico Domino Alberto à Pernstein etc.  
Qualis item simplicitas, & quis candor adhi-  
bitus in eo fuerit, ex Syncretismo Sendomi-  
riensi Polonico colligere licet. Præterea de  
eodem iudicium, synceriorum totius Germa-  
niæ Theologorum, in historia Augustanæ  
Confessionis, quæ Apologiæ libri Concordiæ  
addita est uberius cognosci potest.

III. Addunt, quod sibi nec ab ijs quidem,  
qui cum ipsis in propagatione doctrinæ Evan-  
gelij, operas suas conjungere debebant, pace  
& quiete frui concedatur. Hac λοιδορία qua  
Theologos Augustanæ Confessionis perstrin-  
gunt, de eo alios accusant, cuius ipsi sunt rei.  
Nam in ijs quibus sedem fixerunt locis, per ip-  
sos nostris, inde à tempore repurgatæ doctri-  
næ, Ecclesijs, pace & quiete frui non concedi-  
tur, cum non solum in propagatione Euange-  
lij, se à nobis separent, sed etiam nostros audia-  
tores, quibuscunq; artibus ad se pertrahant, si-  
bi obligent, & ut segregatione sua, publico  
alijs sint scandalo, ansam subministrent.

IV. Subñciunt: Sed sicut inter con-  
sortes eorum, & ipsis inter se non admodum  
convenit, & inter se turbant, ita ne nobis etiã  
ab ipsis

## DE PROOEMIO

*ab ipsis quies sit laborant &c.* Hic eiusdem Augustanæ Confessionis Theologos, absque discrimine diffensionis insimulant, non habitatione eius, quod maximæ parti illorum, non minor confessionis cura incumbit, quam his Fratribus. Cuius sane rei Forma Concordiæ, elapsis annis, optimo consilio, inter eosdem Theologos consignata & subscripta, locuples est testis. Num vero ipsi, quod addunt, prorsus inhumaniter, & non audiri condemnentur, ex Actis, Synodis & colloquijs, in quibus causa eorum agitata est, fiat iudicium, & de eodem testari poterunt in ijs locis, qui rem aliter se habere noverunt. In meo quoque scripto priore Antagonistas illos, ostensis erroribus, hypocrisis & iniurijs eorum, esse quidem hæcenus accusatos, nondum verò Societati huic addictos simul condēnatos, deinceps ubi nominatim me eius rei causa, haud semel falso perstringent, demonstrandum erit. Nec video, qua certiore minusque fallaci ratione possint audiri, quam ex proprijs Confessionibus & libris, e quibus solis, multi ex Hæreticis, iam olim etiam post mortem suam, iudicati imo & damnati sunt.

V. Recensent causas, ob quas necessario non nihil in præsentia dicendum ipsis fuerit &c. At verò cogitandum eis erat, num hæc causa præter alias, nobis etiam non cordi esse



## NOTATIONES.

esse debuerit, ne videlicet sanctum opus, cuius ipse DEVS æquè in nostris, ut in ipsorum Ecclesiis est autor, aliquid detrimenti capiat, & quod necessaria necessitas nobis allata fuerit, ut tueremur defendendo, quæ in Ecclesiis nostris habemus non minus, sed vel magis pia sancta & salutaria. Deinde nec pauciores, ex nostratibus, à nobis, quam ab ipsis efflagitarunt, ut publicam Ecclesiarum nostratum editionem, publicis scriptis, quantum in nobis esset averteremus. Præterea studium quoque nostrum, si Fratres essent dociles, haud parum prodesse posset, si eandem nobiscum, ad quam alias provocant, Confessionem, sua peculiari remota amplecterentur, & quod verbis profiterentur, re ipsa præstarent. De vi iniusta nihil habent, quod de nobis conquerantur, qui clamore, non vero gladio aut violentia quicquam, contra ipsos tentamus, ac si illud intermitteretur, plus conscientia ob veritatem suppressam, lædatur & vulneretur, quam si ea proferatur & propugnetur.

VI. Addunt, *Se multis omisissis, non tantum brevissime, sed simul etiam quam lenissime agere velle.* At verò dicere potius debebant, se quam levissime & odiosissime acturos. Nam adeò frequentibus contra me utunusfigmentis, convicijs & contumelijs, ac toties præter personalia & parerga, verum causæ Statim

sim

## DE PROEMIO

tim pervertunt, ut maxima pars Responsionis ipsorum sic pertexatur, & minima ad rem ipsam faciat, sicut deinceps erit manifestum, Quod si id, quod de lenitate sua verbis prædicant, re ipsa præstitissent, siquæ erga Ecclesias nostras, deinceps iniquiores esse desissent, DEVM testor, me omnem scribendi publicè de ipsis, operam prætermisurum.

VII. Dicunt, *Se nullam omninò, graviorum certaminum & contentionum, quæ in posterum recrudescere facile possent, hic occasionem præbere.* Sed quis non videt, de exemplo Pilati, ipsos manus lavare. Quid enim aliud Responsionem huiusmodi contradictionis, falsitatis, sophisticæ & calumniarum plenam consequi poterat, quam ut gravioribus certaminibus & contentionibus, occasio præbereretur?

VIII. *De iudicio acri & severo, à me inclementissimè de ipsis lato, quod subjungunt, quorumvis bonorum erit statuere, num gravitas rei non postulaverit, ut falsa ipsorum dogmata, cum verbo DEI, & Augustana, ad quam alias provocant, Confessione pugnantia, & iniuriæ, quibus hætenus nostras afficiunt Ecclesias, acriori & severiori censuræ subicerentur, & graviores de ijs querelæ instituerentur.* Quod autem iudicium ipsum vel executionem eius attinet, non ego mihi eam inclementissimè

cle

## NOTATIONES.

elementissime sumpsi, sed DEO ipsi & Ecclesie eius commissam esse volui. Quæ præterea de conscientia tua, & veritatis DEI, ac gloriæ eius defensione attexunt, ab alijs quoq; instituta scriptorum utriusq; partis fideli collatione, decernendum erit, an ipsi vel ego potius conscientia, veritatis DEI, & gloriæ eius, iuste & sincerè rationem habeam.

**I X.** In exordio libelli mei, aliquot contumeliosis se nominibus appellari conqueruntur. Sed res ipsa testatur, eiusmodi nomina, à me nequaquam nunc primum conficta, sed è vulgo petita, & iam pridem ipsis attributa esse ab alijs. Quin verò à fronte suorum librorum, & ipsi his utuntur, ut cum habent: Apologia veræ doctrinæ eorum, qui vulgò appellantur VValdenses vel Picardi &c. Præterea his Epithetis discerni eos oportet, à multis alijs sectarijs, qui subsequens nomen Fratrum, in Bohœmia, Moravia & Polonia sibi & factionibus suis vendicant, sicut alias nempe in Oratione priore habita Brunsvigæ año 1586 ostendi. Non ergo de aliqua contumelia tibi à me illata, hic iure conqueri possunt, sed potius ex malicia, undecunq; quod possunt, ad conciliandam aliorum mihi invidiam arripiunt, & nihil non in pessimam partem interpretantur. Sic turpis est calumnia, quod addunt, nomen Fratrum me potissimum odisse. Non enim

B

verum

## DE PROOEMIO

Verum eius usum, sed abusum odi, quo vel solos se Fratres Christi, & quidem genuinos dici volunt, dum cæteros habent pro ijs qui foris sunt ( ut in Apologia sua loquuntur ) vel pro ijs, qui à vera Ecclesia, adeoq; ipso Christo, fratre nostro summo, simus alieni, ut & hic sequentia ostendunt.

X. *Ad auditores & scripta sua provocant, quod semper affirmare soleant, se alios etiam pro Fratribus habuisse semper, & nunc etiam agnoscere &c.* Contrarium autem Apologia ipsorum, quam inter præcipua sua scripta recensent, disertè indicat. Idem constat ex eo, quod in receptione & obligatione illorum, qui perfide à nostris congregationibus ad ipsos, vanis adducti persuasionibus deficient, nos odiosè, sive publicè sive privatim id fiat, coram auditoribus suis comparant, cum Babylonijs, Aegyptijs, Sodomitis, à quibus ad ipsos ut DEI filios, iam exierint. Deniq; idem videre licet, ex præfatione VValdensium Catechismo præmissa, & anno 1555. in Prussia edito. Similia non ita pridem, vir doctus quidam, qui inter ipsos vixit, sub Titulo: Querela Ecclesiæ ad Sponsum suum &c. his verbis inter alia testatus est: Membra mea lacerant, ô optime Medice, & plerosq; ad se rapiunt, quos ego fovi, docui & instruxi, eosq; in suam Synagogam, cum tanto applausu &

tris

## NOTATIONES.

triumpho recipiant, in meam contumeliam, ut non vereantur dicere, Eos fuisse in Aegypto & Babylone, & nisi resipuissent, & ad se venissent, quod omnino actum fuisset, de eorum salute, & ut hæc fateantur ore proprio publice eos cogunt. Et tu hæc Domine pateris? Vbi erat tua Ecclesia & Sponsa, cum isti non erant. Quis unquam salvatus est præter hos?

XI. Obijciunt *Me scripsisse de ijs, quæ non planè habuerim cognita & explorata, quia non sacris conventibus ipsorum interfuerim, nec cum Ministris eorum contulerim & c.* At verò longè rectius & certius ex scriptis, & proprijs ipsorum Confessionibus, ex evidenti rerum usu & experientia, & ex fide dignorum testimonijs, non solum voce viva, sed & scripto perceptis singula cognoscere potui, quam si conciunculis ipsorum, vel privatis colloquijs interfuissem, cum alios fuisse illis deceptos abunde constet. Non dicam de eo, quod viros doctos, qui per literas placidè ad colloquium eos invitarunt, admittere noluerint, aut comparere & conferre cum ipsis detrectarint, ut in primis Paulus Kyrmezerus, Decanus Hlunobrodensis in Moravia (quem aliquoties nominatim in Responsione sua mecum acerbè exagitant) opusculo suo, publicè contra ipsos edito demonstravit. Idem ergò mihi accidisset, si ante vel circa idem tempus, quo scriptum

## DE PROOEMIO.

ptum prius meum est editum, eos ad colloquendum invitassem. Cur verò tam ex veteris, quam ex recentibus libris, errorum suorum à me convincendi fuerint, ex meo priore scripto, satis est planum, & postea rursus attingendum erit. Ex his igitur haud quaquam maliciose quicquam arripui, sed verba formalia, & quidem integræ sententiæ, & integra folia, non verò voculæ & particulæ, à me sunt productæ & citatæ. De meo autem scripto id potius planum est, Respondentes hinc inde & sine ordine, aliquas saltem particulas & voculas, maliciose arripuisse, falso citasse, & sæpe non ad rem respondisse. Præterea parerga, de sepultura & terra patria, uni denegata, de reditibus quibusdam meis, de hominibus indignis ad Ministerium à me promotis, & alia sibi nunquam rectè cognita, sed e mentita, sunt ausi inserere,

XII. Scribunt, *Me ipsos initio statim acerrimè & inclementissimè damnare, insimulando eos variorum criminum &c.* Quod simpliciter à me damnentur, verum non est, sicut nec ex toto libello meo id probare possunt. Quin verò in exordio illius disertè præmisi, quod quantum me spectat, id essem evitaturus quando his sum usus verbis. Ero etiam hoc quidem tempore brevior, in exponendis seu examinandis eiusmodi (controversiis)

## NOTATIONES.

sis) capitibus, & seposita contentionis, aut  
 damnationis acerbitate ac vehementia, aut  
 blasphemiæ graviore nota, non nisi ea, quæ  
 officij ratione, & veritatis inquirendæ pro-  
 ponendæq; studio requiruntur, serio seduloq;  
 urgenda censebo. Quod igitur hic præmissi,  
 in contextu totius scripti mei, deinceps obser-  
 vavi, & ideò iure mendacij Antagonistas me-  
 os, multoties postea contrarium fingentes ar-  
 guo. Errores alioqui & corruptelas doctri-  
 næ ipsorum quod attinet, eas sane in Augusta-  
 na Confessione, & declarationibus eius, iam-  
 pridem, & antequam à me quicquam de ipsis  
 scriptum fuit, reñci, improbari & damnari,  
 haud obscurum est. Et tamen in nostris Con-  
 fessionibus, etiam fanaticæ saltem opiniones,  
 & earum pervicaces autores, doctores & pro-  
 pugnatore, minimè verò alij quicunq; in Ec-  
 clesiis Christianorum damnantur homines, qui  
 suam quandam simplicitatem sequuntur, &  
 corruptelas, ubi eas intelligunt, minimè pro-  
 bant vel defendunt. Unde & mihi, in priore  
 scripto, cum Ministris, & nunc cum Respon-  
 dentibus VValdensicis, negotium quidem esse  
 se, profiteor palam & protestor, non verò cum  
 tota Societate aut Vnitate Fratrum, in qua iu-  
 dico multos esse pios, simplices & bonos, qui  
 etiam contra mentem istorum suorum ducto-  
 rum, rectius sentire possunt.

## DE PROOEMIO

XIII. In dubium vocant, quod de ipsis inter alia in Præfatione scripsi, *Quod se ipsos puriores & sanctiores nobis ostentare & iactare soleat, cum tamen falsa habeant dogmata.* Quod autem id revera sic se habeat, non solum ex præmissa notaciuncula decima est manifestum, sed etiam ex cæteris, quæ à me simul in eadem sententia sunt enumerata, quæ Respondentes ut falsarij, & malè de his sibi conscij, mutilarunt & omiserunt. Verba igitur mea hæc sunt: *VValdensici fratres, à vera sanctorum Ecclesiarum nostrarum doctrina, nimium deflectunt, & hætenus innumeros passim ad se, ex congregationibus nostris, pertrahunt & seducunt, ubi tam fidei, quam disciplinæ singularis prætextu se nobis puriores & sanctiores ostentant & iactant, eamque ob causam seorsim sua conuenticula, suas congregationes, ritus & leges, à nostris, nempe Augustanæ confessionis Ecclesiis, diuersas & discrepantes, ad hodiernum usque diem observant. Hæc cum adeo sint manifesta, ut singula ea non audent negare, callidè potius omittenda, quam inter principia Responsionis inferenda & recensenda censuerunt. Quod verò etiam Ecclesias istarum regionum, ubi vivunt, invadant, easque suis erroribus & hypocrisi obruant, & quasi fascinent, quamvis etiam non maiore probatione, in re omnibus obvia opus sit, tamen postea aliquo-*  
ties



## NOTATINOS.

ies rursus, & inprimis secundo capite discre-  
pantriæ, de altera parte Examinationis, id erit  
ostendendum.

XIV. Multis & quidam acerbissimè id  
exagitant, *Quod ad petitionem Magnificorum  
è Bohæmia Dominorum, Examinationem do-  
ctrinæ ipsorum conscripserim, & quod in eo  
cœperim agere, contra Acta celeberrimi Con-  
ventus Gentis Bohæmicæ, Anno CHRISTI  
1575. Pragæ habitæ.* At vero pessima fide  
nonnulla ex Actis illis, quæ spectant Confessi-  
onem ipsorum recensent. Qua de re cum post  
editum scriptum meum, D. David Chytræus à  
Magnifico Domino Spanofkio P.M. se erudiri  
petisset, proluxa Epistola rē omnē, ut se reuera  
habet, & ut ex Tabulis Regni eius, per Magni-  
ficum Dn. Protonotarium eiusdem, tunc re-  
quisita, & de verbo ad verbum è Bohæmico  
conversa est, exposuit. Divino autem quo-  
dam motu factum est, ut Heros ille, Senior D.  
Spanofskius, mihi tam alia multa, quàm exem-  
plar illius Epistolæ ad D. Chytræum scriptæ  
communicaret, ut quasi in deposito retinerem,  
& ubi opus esset VValdensicis Antagonistis  
opponerem. In ea Epistola inter alia hæc ha-  
bentur: Quod utriusq; partis Proceres &  
Status, è Confessionistis ( ut vocant ) & Fra-  
tribus, ultro citroq; haud parum Confessio-  
nis causa tunc inter se contenderint, & Conf-  
fessio

## DE PROOEMIO

Confessionistas tandem permisisse quidem, ut penes  
coetum suum (coram Imperatore in solenni isto  
Conventu) simul adstarent, sed quod in eo do-  
ctrinam ipsorum non approbaverint, spem  
verò de ipsis conceperint, quod & promise-  
rant, se peculiariter Imperatoriæ Maiestati ea,  
quæ ipsos attingerent, exposituros esse. Eant  
iam Respondentes mei, & dicant, Omnes Or-  
dines Regni Bohœmici testatos esse, Confessi-  
onem ipsorum, Regibus Bohœmiæ iam pri-  
dem exhibitam, (sed neutiquam ab illis rece-  
ptam aut permissam) cum sua doctrina, quam  
illo tempore comprehenderant, in fundamen-  
to convenire. Præterea quod eandem non  
approbaverint, haud obscure etiam colligitur,  
ex Proœmio eius Confessionis Bohœmicæ,  
quæ tunc exhibita, recepta & concessa fuit, ubi  
inter alia inserunt: Se nullam falsam doctri-  
nam amplexuros, nec illos ad Fraternitatem  
admissuros, quos quovis modo veritati Scri-  
pturæ cœlestis, & institutioni Christi adversari  
cogoverint, quicumq; demum illi Schismatici,  
Hæretici & Sacramentarij, veteres sint &  
novi, Cum igitur VValdenses, novis iam  
pridem Sacramentarijs, in doctrina subscripse-  
rint, & in publica etiam Synodo Sendomiriens-  
i in Polonia Anno 1570. se adiunxerint, mi-  
nimè Confessionis illius prætextu, se aut falsa  
dogmata sua tueri possunt. Discrepantia etiam  
inter VValdensicam, & eandem Bohœmicam  
Conj

## NOTATIONES.

Confessionem in re Sacramentaria, manifestò  
ex Articulo VIII, XIII, XIV. & XV.  
huius deprehenditur.

XV. Addunt, *Benignum ad omnia re-  
sponsum à Clementiss. Imperatore acceptum  
esse.* De eo sane quod VValdensium Confes-  
sionem ( quia de hac saltem, & non de alijs  
Comitiorum istorum Actis loquor ) attinet,  
contrarium evincit, severiss. Edictum paulo  
post eodem Anno 1575. ab Imperatoria Ma-  
iestate in urbe Spiera, de segregata Religione,  
concionibus & conventiculis VValdensicis,  
cohibendis & intermittendis promulgatum.  
Quod idem deinceps ab Inviciss. Imperatore  
Rodolpho II. Pragæ Anno 1584. repetitum,  
& publicè promulgatum est. Viderint igitur  
Respondentes mei, ne multarum ( quod mihi  
hic peruerse imputant ) calamitatum, sibi ipsis  
& suis sint autores, atq; effectores, quando in  
caussa esse possunt, vt, de ipsis quidem, non  
vero de me inquiratur: An violatæ fidei sint  
rei, & ne hoc pacto suis turpem infamiæ no-  
tam inurant & magistratui causas, negotiorum  
& occupationum nimis necessariorum, ipsi à  
se afferant. Viderint illi, inquam, ne in foueam  
quam alteri foderunt, incidant, & ne tandem  
malum consilium consultoribus sit pessimum,  
præsertim cum Illustres Dominos, & alios  
Confessionistarum in Bohœmia Ordines, illa

B 5

quoq;

## DE PROOEMIO

quoque attingant, & ipsi per meum latus per-  
tantur.

XVI. Quod scripsi de studio Consensio-  
nis in negotio Religionis sinceræ, contra fa-  
ctiones eius, & quod nolim deprehendi inter  
eos, per quos silendo & socordia eiusdem Re-  
ligionis confusiones & dissipationes, in istis  
locis cumulentur, *Id non hoc animo à me agi  
sunt.* Falso autem hoc primo probare con-  
nantur ex eo, *Quod distraham ipsos, qui cum  
Ordinibus Regni coniuncti sint.* Sed quam  
atrox hæc sit calumnia, ex ijs quæ jam præ-  
missa sunt, abunde colligitur. De coniunctio-  
ne politica Ordinum Regni inter se, nulla un-  
quam mentio a me facta est, ideoque nullius  
etiam distractionis in eo me arguere possunt.  
Quod verò negotium religionis attinet, distra-  
ctionis ipsi VValdenses sunt autores, quia et-  
iam in istis Comitibus, de quibus dictum est,  
noluerunt relicta peculiari sua Confessione, illi  
subscribere, quæ tunc ab Illustrissimis Ordini-  
bus Regni, Imperatoriæ Maiestati oblata, &  
ab eadem recepta & permessa est. Qua fronte  
igitur Respondentes me eius insimulant, cuius  
ego nequaquam sum autor, sed contrarium,  
nempe Consensionem unius, & eiusdem repur-  
gatae doctrinæ, quæro & exopto. Deinde idem  
probare moliuntur, *Quod peculiarem sectam  
dogmatis Ubiquitarum resuscitaverim, ne pauci-  
ores*

## NOTATIONES.

ores in istis locis sectæ forent. Sed hoc calidum & notorium esse mendacium, cum ex alijs multis abundè constat, tum ex eo, quod in priore scripto meo, expressè in 1. Capite discrepantiæ inserui: Disputationem de omni præsentia Humanæ Naturæ cum Divina in CHRISTO, quam se fugere VValdenses indicant, & à loco de Cœna planè removendam esse censent, me non velle attingere. Ibidem addidi, Id modo ut obtineam, me quærere, quod CHRISTVS verè præsens adsit personaliter, secundum utramq; naturam in Ecclesia, & corpore suo in S. Cœna, ubi certissimis verbis, & veracissimis promissionibus, se præsentem fore & esse ostendit, seq; ipsum obligavit. Id quod ad hunc modum, & ob eadem testimonia sacra mecum Ecclesias orthodoxas, in quibus postea docui, & quæ apertè Cōfessionis Inferioris Saxonix, & Corpori doctrinæ Julio subscripserunt, statuere notissimum est. Nihil nunc addo de eo quod satis dura pertulerim, quod quandam Ubiquitatem carnis, aut humanæ naturæ CHRISTI, in S. literis non fundatam, ab alijs introduci noluerim, sicut pluribus recensere possem, nisi Concordiæ cum socijs eiusdem Confessionis rationem habendam, & iniurias ab illis illatas, potius apud Deum deponendas esse iam pridem censerem. Sic nihil etiam addo de eo, quod Orationi funebri Illustriss. Principis ac Dn. Dn. JULII

IVLII

## DE PROEMIO

**I V L I I** Ducis Brunsvicensis & Luneburgensis &c. laudatissimæ memoriæ, & in Thesibus disputationis de Norma & Fundamento fidei ac Religionis Christianæ, in Academia Iuliana à me publicè Anno 1589. & 1590. editis, graves inserui causas, ob quas Ubiquitas generalis (quæ Scholasticis Doctoribus est repletiva) extra Cœnam Domini & Ecclesiam, secundum utramq; naturam CHRISTI, in vel apud omnes creaturas, neutiquam probari possit. Hæc si rectius Respondentes mei expendissent, non adeo audacter, me de resuscitato dogmate Ubiquitario accusassent, nec me, monstrosæ alicuius Ubiquitatis nomine, Bohæmismis suis, quibus maxima ex parte dogma illud, valde displicere scio, exosum reddidissent.

**X V I I.** *Negant, Se istarum regionum loca invasisse, & ex nostris congregationibus homines ad se pertraxisse. Id quod hac conantur eludere sophistica, Quod ipsi non sint alienigenæ aut peregrini, sed in istis locis vere domi, & in patria sua nati. Ego verò nō de locis istarum regionum, sed de Ecclesiis, quæ in ñsdem locis Augustanæ Confessioni addictæ sunt loquor. Esto autem, quod inter Bohæmos suos ista nō tentarint. Num verò etiā in remotioribus regionibus, ut Polonia, Prussia sunt domi, & num ista est patria ipsorum, ubi eadem*

## NOTATIONES.

eadem Polonia ante annos triginta, testantibus Magnificis Regni illius Dominis, imo & Synodis, plures quam centum Ecclesias Augustanæ Confessionis addictas, invaserunt & seduxerunt? Me verò quod attinet, licet hospes quod mihi obiiciunt, in regionem Bohæmis vicinam venerim: tamen non nisi legitimè vocatus accessi, Ecclesiæ mihi commendatæ curam suscepi, intra limites illius, ut æquum est, me continui, ipsorum cœtibus me non obstruxi, nec ad eosdem excursores aliquos ablegavi, neminem ex civibus, inter ipsos habitantibus, religionis causa ad nos pertraxi, & multo minus quenquam eo nomine mihi obligavi, demùmque nec concionando, nec Sacramenta administrando, quicquam inter eos tentavi unquam. Hæc igitur cum ab ipsis omnia in nostris cœtibus tentata, & publicè admittenda esse constet, qua fronte Respondentes isti culpam distractionum & turbarum mihi imputare audent? Eiusdem impudentiæ est, quod addunt peregrinam & novam doctrinam me introduxisse, cum adversus ipsorum contradictiones, propugnem Augustanam Confessionem, quæ cum ea consentit, quæ tunc Cæsareæ Maiestati ab Ordinibus Regni exhibita fuit. Valdenses verò cum in alijs quibusdam Articulis, tum de Sacramentis, contra formulam eiusdem Confessionis ab ordinibus Regni exhibitam, doctrinam novam & peregrinam, nempe mos

## DE PROOEMIO

pe modernorum Sacramentariorum, qui diserte ibidem excluduntur, introduxerunt. Num igitur hii Respondentes putant, Lectores ita fore insensatos, ut adeò putida ipsorum figmenta, ad conciliandam mihi invidiam prolata, non animadvertere, & cuius ego vel ipsi sint vere rei, haud dijudicare queant?

XVIII. Redeunt ad id, *Quod omnia rectius cognoscenda, & placidè cum ipsis colloquendum fuerit.* Sed notatiuncula XI. jam præmissæ sunt causæ, ob quas non fuerit operæ precium, ut privatim cum ipsis conferrem, cum alij ante me id accuratè præstando, oleum, quod dicitur, & operam perdiderint. Nec verò æquum id fuisset, ut cum illis privatim agerem, qui publicè nostris Ecclesiis, rationibus multis essent iniurij? An quoq; mihi id sumpsierim, *ut ante tempus de ipsis iudicium ferrem, aut eos condemnarem,* supra notatiuncula VIII. & XII. dictū est. Quin verò abutuntur hic nomine & autoritate Spiritus sancti, quia Apostolus in eo dicto, de infirmis in rebus adiaphoris delinquentibus, loquitur, quod non sint ante tempus iudicandi, non verò de obstinatis, hypocritis, & ijs qui in gravioribus doctrinæ Evangelicæ capitibus, veritati contradicunt.

XIX. Ver.



## NOTATIONES.

XIX. Verba quædam alia ex Epistola dedicatoria arripiunt, & non uno modo perperam detorquent. Nam ea, quæ ex ore Magnifici Domini excepta repetuntur, mihi tribuunt. Deinde quæ ex dolore justo, & commiseratione erga Ecclesias nostras, quæ in illis locis, nemine propemodum è docentibus, Sectarios palam convincente distrahuntur & leduntur, prolata sunt, eo detorquent, *Quasi ex philantia mihi placeam, & mearum laudum præco esse velim.* Quod si ipsis ad honesta aliorum elogia de se, toties provocare licet, cur non idem mihi concessum esset? Sic paulo post Exordium prioris scripti ostendi, similia coram alijs proceribus ( ut de viris doctis, & quidem Bohæmis, qui literis suis idem testati sunt, nihil nunc addatur ) fuisse prolata, & mihi scriptionem reuerti insinuata, quæ a deo perverse hic detorquent, ut temerè etiam Spiritus sancti nomine rursus abutantur, saltem ut aliquid proferant, quod ad aliorum invidiam mihi conciliandam faciat. Quod autem in ipsis huiusmodi sit philantia, qua nimium sibi ipsis placent, & expetunt inanem gloriam, & prærogativam præ nobis singularem ex his, quæ nec de se ipsis, nec de populo suo demonstrare possunt, in sequentibus erit attingendum. Quod si nolebant quicquam in ignominiam suam dici & fieri, nec simile quicquam in consuetudine

tume

## DE PROOEMIO.

tumeliam aliarum Ecclesiarum, tempore tant longo tentare debuissent. Nec mihi conscius sum eius, quam mihi odiosè imputant, malitiæ, sed hoc postulante necessitate, ratione professionis à me, etiam de mandato Apostoli, adversus contradicentes, detegendum fuit, quod ipsi in istis locis, in Ecclesiis Augustanæ Confessionis, moliantur impedire, quæ non minus pia, sancta, salutaria, inter nos, quam inter ipsos, propitius DEVS hactenus, clementer conservavit, eisq; benedixit.

XX. Id temerè pronunciant, *Me vehe-  
menter de docentibus in iisdem locis errare.*  
cum tamen non possint demonstrare, quis ante hoc tempus, dogmata nostra puriora, à falsis ipsorum secernere, ac vindicare conatus sit, De eruditione meorum antecessorum, hinc non est quæstio, sed de eo: An id, de quo sermo est, palam præstiterint? De Doctore Paulo Sperato satius esset tacere ipsos, cum literæ D. Lutheri ad ipsum in Moraviam perscriptæ, & postea Acta cum fratribus Bohæmicis, sub Episcopatu eius in Prussia, abunde testentur, eum nequaquam falsa Fratrum dogmata, atq; peculiare ipsorum constitutiones approbasse, sed se eis cum ipso Principe, & alio Collega Episcopo, graviter opposuisse. Addunt, *Se suis oppugnationibus alias, ita ut par fuit, respondisse, & criminationes eorum ita depul-*  
lisse.

## NOTATIONES.

lisse, ut ipsos contentos esse, & conquiescere oporteret. Idem igitur ut de me etiam tandem gloriari possent, omninò in votis habuerunt, & ideò tanto tempore Responzionem suam, adversus me conscriptam occultarunt. Sed quomodo optimi scriptores, cum vel ignari essent molitionum contra se VValdensicarum, vel cum post mortem suam ab istis exagitantur, quod justum erat, juste persequi, & ulterius veritatem defendere poterant? Id verò ne diutius ita fieret, DEI providentia accidit, ut dum adhuc ego in vivis essem, Responzio ipsorum mihi é longinquis locis post tot annos offerretur.

XXI. Postulant, ut Zelum, consilium, studium, operam, scientiam, & quicquid in me est facultatis & virium, adversus Antichristi servos (per quos Pontificios intelligunt) & Pseudevangelicos convertam. Sed scire debebant, me & alios Ecclesiarum nostrarum Ministros fideles, ipsis etiam haud momentibus, suo in his non deesse officio, sicut de me testari possunt auditores, qui non solum me concionantem, sed & in aliquot celeberrimis Academijs publicè prælegentem, & præsertim præter Prophetica & Apostolica scripta, Confessionem Augustanam tractantem, & de alijs gravibus materijs disputantem & perorantem (quæ Disputationes & Orationes, sicut

G

sicut

## DE PROOEMIO

sicut & Germanicæ conciones nonnullæ etiã  
typis excusæ sunt ) audiverunt, quorum mul-  
ti, Ecclesias, Scholas & Rempubicam, varijs  
in locis, cum laude sua administrant. Cur ve-  
rò, quod ab alijs requirunt, ipsi etiã non  
præstant, & cur non plenius refutant scripta  
Doctoris Venceslai Sturmij Bohæmi, ad-  
versus ipsos copiose annis elapsis edita. Causa  
in promptu est, quia cum egregiè sciant uti foro,  
metuunt ne gravius sibi ab hac, quam à no-  
stra parte, periculum accersant.

XXII. Cavillantur, Eos à quibus odio  
& malicia oppugnantur, metuere, ne populus  
ad ipsos pietatis gratia se convertat, & illi di-  
gnitatem & opulentas parochias amittant, aut  
arctiore etiã disciplina coerceantur. At ve-  
rò Respondentes isti, alios ex suo judicant in-  
genio, quo odio & malicia erga veritatem  
profitentes, & eandem de ipsis detegentes, tot  
flagrant. Quin verò ipsi ideò indignantur, &  
tantopere convicijs eos proscindunt, quod me-  
tuunt ne scriptis Theologorum Augustanæ  
Confessionis tandem convicti, veritati manus  
dare cogantur, & culinæ ipsorum postea apud  
auditores aliquid decedat, si depræhendant se  
ab ipsis seductos esse. Num etiã popu-  
lus pietatis gratia à nobis ad ipsos, se conver-  
tere possit & debeat, præcipuū est *κελεύμενος*  
cum maxime pium sit, de mandato Spiritus

## NOTATIONES.

sancti, congregationem, in qua nempe purum  
DEI verbum docetur, & in qua legitimus est  
usus Sacramentorum, non deserere. De disci-  
plina etiam constat, nomen quidem illius apud  
Fratres sanctum esse, sed rem ipsam longissime  
abesse, sicut quidam qui inter ipsos vixit, scri-  
pto quoque testatur. Auditores igitur ipsorum  
avaritia potatione, scortando, reliquis pares,  
& interdum deteriores sunt. Exempla de  
perpetratis atrocioribus, ab ipsis VValdensi-  
um Ministris sceleribus, Kyrmezerus recenset,  
quæ negare haud possunt. Alios igitur subins  
de carpendo, se ipsos accusant.

XXIII. Negant, *Se Confessionem su-*  
*am, quod in Præfatione scripsi, hætenus supre-*  
*mæ & infimæ sortis hominibus* (quia universa-  
lalem omnibus falsarij de suo addiderunt)  
*tanquam satis superque sinceram, & nostram*  
*etiam puriorem obtrudere.* Me autem non  
falsa, ut ipsi solent, sed vera hic proferre, non  
tantum ex alijs testimonijs, sed etiam ex Præ-  
fatione Confessionis ipsorum, nomine Baro-  
num & Nobilium Regni Bohæmiæ, Anno  
1535. Viennæ Austriæ oblata constat, ubi  
diserte asserunt, purissimam suæ fidei dogma-  
tumque Confessionem, non semel factam &c.  
Et in Apologia sua parte I V. scribunt:  
*Se & suos purissime divini, sive Evangelicæ*  
*verbi, nec non Sacramentorum administratio-*

## DE PROOEMIO

*ni adherere &c.* Num verò etiam invitis suam Confessionem non obtrudant, iudicandum inde relinquo, quod se ipsos & doctrinam eius (Non enim hic tantum de libellis loquor) offerunt alijs, in ijs locis, ubi jam antea Pastores legitimi sunt constituti, & ubi populus nostris Ecclesijs addictus, nequaquam ipsorum dogmatibus & institutione opus habebat. Num verò ego etiam, quod Respondentes mei Superlativo efferunt, *Pro perfectissimis habeam ea, de quibus ex Augustana Confessione, & Ecclesiarum nostrarum doctrina dissero,* demonstrandum ipsis erat, qua pagina scripti mei id fiat, sicut ego eos iactare purissimam suam fidem, verbis ipsorum ostendi. Non enim ignoro id, de quo Apostolus scribit: Nos ex parte cognoscere, & ex parte prophetare. Item, Nos videre nunc per speculum, in ænigmatibus &c.

XXIV. Quod Respondentes non candidè Confessionis Augustanæ, & Doctorum illius nomen iactare, & multis dogmatibus, cum ea pugnantibus, prætexere soleant, lectores attenti, ex capitibus discrepantibus, in meo libello consignatis, instituta collatione, & remotis affectibus, omninò ipsi perspicere possunt. Eadem ratione D. Lutheri nomine & commendatione ipsos abuti, adeò manifestum est, ut longa probatione non opus sit.

*Quod*

## NOTATIONES.

Quod igitur hic nequaquam, contra Antagoni-  
 stas falsum dicam testimonium, de iudicio  
 quoque synceriorum, totius ferè Germaniæ  
 Theologorum cognosci volo, qui in historia  
 Augustanæ Confessionis, Anno 1584. edi-  
 ta, haud abs re, V Valdenses numerant, inter  
 Fanaticos, qui palliolo Augustanæ Confessio-  
 nis, se tegere conantur, ut eo facilius Ecclesias  
 nostras invadant, easque evertant. Ibidem,  
 quod Lutheri autoritatem falso prætexant, &  
 quod ille multa in eorum doctrina desiderave-  
 rit, apertè ostendunt. Addunt hic Respondētes,  
*paulò durius in Confessione Augustana quædam  
 esse dicta*, sed qualia sint illa, non exprimunt.  
 Sic etiam non ostendunt, qui & ubi eius ver-  
 bis, ad confirmandum falsa dogmata abutan-  
 tur. De privatis sermonibus, colloquijs &  
 scriptis, quibus contuli cum aliquibus, societati  
 ipsorum addictis, nihil hic subijcere libet, cum  
 homines hi etiam ea, quæ omnium istis in lo-  
 cis oculi coram vident, & quæ manifesta cons-  
 tant experientia pernegent, & subinde ad ale-  
 xipharmacum illud maleferiatorum se conver-  
 tant: Si fecisti, nega.

XXV. Non esse merum figmentum,  
 Quod ipsi contra nostras Ecclesias erumpant,  
 & magno cum fastu societatem suam præferant,  
 de testimonio eorum, quæ notatione X. sunt  
 ostensa, constat. Mentionem autem faciunt

## DE PROOEMIO.

rationum, ob quas Confessionem suam peculiariter retineant. At verò illas, ut in Prooemio eiusdem ( ad quod hic provocant ) recensentur, valde esse frivolas, res ipsa satis edocet. Inter alia enim potissimum, ad majores suos provocant, & suam Confessionem nostra antiquiorem esse, ideò singulari eius editione multoties, utpote novies sub incidem revocata, aut potius permutata, opus fuisse contendunt, ut nimirum hinc possit intelligi, quid jam olim majores, & nunc ipsi, qui sunt sectatores eorum credant &c. Quod si his verbis non singularem aucupantur prærogativam, & non ex fastu gloriolam hinc aliquam captant, cur non hoc tempore omissis majoribus suis, ( quib. inter Cimmerias Papatus tenebras, non nihil saltem lucis videre contigit ) & relicta peculiari Confessione sua, unitatem & consensum, in pleniore luce & puriore doctrina, cum repurgatis Ecclesiis, aperte amplectuntur, eiq; subscribunt: Hic profecto obtemperandum potius erat, præcepto Spiritus sancti, per Apostolum enunciato: Idem dicatis omnes, nec sint inter vos schismata, & sitis coagmententati, eadem mente, & eadē sententia. Huic præcepto omnis majorum autoritas postponenda erat.

XXVI. *Fingunt, Quod parem cum  
S. Scriptura, & Symbolis Oecumenicis, Augu-  
stanae Confessioni, & libris Lutheri autorita-  
tem*



## NOTATIONES.

*tem tribuam.* Qua calumnia Respondentes causæ Statum, qui ab initio prioris scripti mei, & deinceps designatur, pervertere conantur. Etenim Confessio Augustana, & dicta Lutheri à me non ideò ipsis opponuntur, ut Sacræ Scripturæ æquiparentur, sed quia præ alijs omnibus societatibus, publicè & privatim, ad illa ut orthodoxa, jam pridem nominatim provocant, ea Scripturæ consentanea agnoscunt, & se idem sentire, cum iisdem profitentur. Hinc igitur urgeo, ut si candidè pro ut decebat homines pios & Christianos, ita stant, vel Confessioni nostræ, & doctrinæ Lutheri nobiscum subscribant, vel si obstinate, se & sua præferunt illis, ad ea in posterum provocare, clam in ijs locis, ubi nostri docent, & ubi à Magistratu ipsis non mandatur, domos subire, & auditores Ecclesiarum nostrarum ad suas pertrahere partes, omninò desinant: tandemq; scandalorum, & insectationum finem faciant. Ad hoc ubi Antagonistis mei respondendum, & causæ solidæ erant afferendæ, cur id facere reculent, tergiverlando, & aliena à Statu subinde miscendo, temerè elabi conantur. De quo sanè penes DEVM, & Ecclesiam eius, esto iudicium.

XXVII. Ut aliquid saltem prætendant causæ, perstringunt docentes in Ecclesiis nostris, ob dissidia, & falsa, ut ipsis videtur,  
 aliena

## DE PROOEMIO.

*aliena atq; contradictoria dogmata. At verò scire debebant, dissensiones de dogmatibus, quæ prædicente ipso Christo & Apostolis, in Ecclesia DEI quandoq; ob certas, quæ alibi resercentur causas, excitatur, minimè tollere, verã fidei consensionem, in S. Scripturis, & Symbolis compræhensam. Nam per hanc vera & pia, Ecclesiæ omnium temporum membra, inter se sunt, & manent unita, atq; colligata, siue una pariter vivant, siue in mundo hinc inde sint dispersa, & quamvis vel aliqui, vel plures in ea dissentiant, aut deficient. Id quod etiam tempora Apostolorum, & primitivæ Ecclesiæ edocent, utpote quibus ea in flore fuit, & sincera Evangelij doctrina, longe lateq; disseminata, aut plātata est, licet passim Pseudoapostoli, Eceboli & falsi fratres, in multis ab ea dissentirent & deficerent. Nec semper Consensus est signum puritatis doctrinæ, & sinceræ pietatis, cum etiam hostes Ecclesiæ, imò & latrones, concordés esse, & inter se conspirare soleant. De eo quod Respondentes mei hic discerni volunt, inter assertores Augustanæ Confessionis, synceros vel non synceros, prout ipsorum Confessionem vel probant, vel improbant, cum id propemodum sit ridiculum & insullum, nihil nunc addo.*

EX

NOTATIONES.

EX RESPONSIONE,  
AD PRIMAM PARTEM  
EXAMINATIONIS,  
NOTATIONES.

**P**RIMA, In exordio hujus partis iterum controversiæ Statum inter me & ipsos falso formant. Scribunt enim Me ratiocinando hinc velle colligere: *Cum Ecclesiæ ipsorum ad Hussum se referant, nimirum fieri non posse, ut cum Lutheranis consentiant. Et paulo post: Quo jure igitur condemnare nos potest Hedericus, & à Germanicis, vel Augustanæ Confessionis Ecclesiis nos excludere, hac sola de causa, quod Hussum quoq; & doctrinam eius orthodoxam amplectimur, vel ut ipse loquitur, ad eum nos referimus.* Quod verò nequaquam hoc, sed profus contrarium ego velim, totius partis huius series, & contextus edocet. Cum enim Fratres Bohæmici, non solum ad Iohannem Hussum, sed etiam ad D. Martinum Lutherum, & Augustanam Confessionem provocent, & de multis tandem rectius, se edoctos esse fateantur, justum id fore, & æquum ostendi, si suo in loco relinquentes Hussum, penitus se Lutheranis adiungerent. Hunc unum me scopum hic spectare, ex singulis si non periodis, tamen paginis, cuius

DE PRIMA PARTE

vis attente legenti libellum meum est manifestissimum. Et cum omnia vel multa, ut ex eo hic repetantur, Epitome ista non ferat, saltem paucula hæc, quæ post cætera conclusionis loco subiiciuntur, hic addere libet. Sic autem habent: Quare quod à nostris Ecclesiis, summum acceperunt beneficium, si candor in ipsis esset syncerus, gratis pectoribus amplexuri, & prædicaturi essent, & non modo benevolentia vera signa, nobis declaraturi, sed & Ecclesias nostras, studijs ipsedem nobiscum defenduri, atq; ornaturi, imò & se totos illis adiuncturi essent, minimè verò turbaturi aut eversum, quemadmodum ab ipsis fieri, passim in his locis, abunde nos, qui vicini sumus, experimur &c. Hinc cuivis colligere licebit, in meis Respondentibus, esse perversitatem, Christianis & Fratribus indignam, qua ex diametro contrarium fingere audent, me nimirum ratiocinando colligere velle, propter Hussi errores, quos sectatores eius multo tempore retinuerunt, sed à nostris sive Luthero edocti, primum correxerunt, fieri non posse, ut cum ipsedem consentiant. Quin potius quo magis corrigunt errores, eo propius ad nos accedunt, & eo facilius consensus, eodem Symbolo nobiscum recepto, & suo illo peculiari abiecto, inter nos pie sancteq; iniri poterat & debebat. Contra hos ergò falsarios, omnes veritatem amantes, demum coram DEO & Ecclesia eius, ut mihi

sine

## NOTATIONES.

sint testes necesse erit, quod haud quaquam dis-  
sensionem Confessionis & fidei, inter nos &  
iplos, sed consensionem synceram, unice desi-  
deraverim, & non necessarium illud schisma,  
penitus sublatum esse voluerim. Quod cum  
Respondentes isti recusent, non possunt id quod  
intus in pectore alunt occultare, sed quod no-  
biscum uniri nolint effutiunt, & de suo verbis  
meis assunt.

II. Quæ de elogio Husi subiiciunt, illa  
ego minimè impugno, imò sua omninò laude,  
selectum hunc Ecclesiæ Doctorem, & sanctum  
Martyrem, dignissimum iudico. Nec quies-  
quam eius encomio detrahitur, quando maior  
hoc tempore, gratiæ divinæ ubertas, repur-  
gata & longius propagata Euangelij doctri-  
na, per Doctorem Lutherum, & Collegas  
eius, à me prædicatur. Hac quoq; rati-  
one, & sano hoc, quo isto à me sunt expo-  
sita sensu, haudquaquam certamina & conten-  
tiones, ut mendax Responsio habet, cum de-  
trimento, acerboq; dolore, multorum bono-  
rum instituuntur. Si qui certè boni sunt viri,  
aliter iudicabunt, & culpa VValdensium fieri,  
ut incommoda & dolores inde consequantur  
intelligent, quando nimirum ipsi, cum multo-  
rum vicinorum, non minore dolore, & mul-  
ticiplici offensione, nimium exorbitant, in alie-  
nam, quod dicitur, messem mittunt falcem, &  
post

## DE PRIMA PARTE

posthabita ea, cuius memini, gratiæ divinæ ubertate, suam illam multo strictiorem, non sine superstitione, & vana antiquitatis cuiusdam opinione, ei præferunt.

III. Quo sæpius, eo turpius, Respondentes mei figmentum hoc ingeminant, *Me propterea eos condemnare, quod Iohannis Husi doctrinam orthodoxam amplectantur.* Non enim vel unum saltem locum, in meo libello ostendere possunt, in quo vel ob hanc, vel ob aliam causam, eos hætenus simpliciter condemnaverim, ut & de Procæmio Notat. XII. memini. Sic multo minus alios damnavi, quorum hic mentionem, ad conciliandam maiorem mihi invidiam, inserunt. Nunquam eius fui temeritatis, ut quosvis dissentientes, mox condemnarem, sed hos Antagonistas de erroribus, in prioribus & posterioribus scriptis ipsorum publicè sparsis, atq; de iniurijs, quibus per aliquot provincias, in quibus habitant, Ecclesias nostras, multipliciter offendendo, distrahendo, inescando & deformando eas, afficiunt, in libello meo accusavi, seriò de ijs conquestus sum, atq; adhuc conqueror. Num verò is, qui redarguit vel accusat, aut querelas profert, mox condemnat alium? Nonne de eo iudicij suo, decernendi potestatem offert & relinquit? Id quod à me fit etiam, qui DEO OPT. MAX. & Ecclesiæ eius, liberum per-

mit;

## NOTATIONES.

mitto iudicium, sicut & eiusdem est, damnationi subijcere, quos damnatione dignos agnoscit. Interea tamen etiam vox divina, & oracula cœlestia damnationis sententiam stringunt, adversus errores Evangelio repugnantes, & obstinatos illorum propugnatores, ut Galat. 1. v. 8. & 9. sicut & alibi videre licet. Denique qua vel minima syllaba, & apice probabunt, *Me Hussum habere pro hæretico, & me Ecclesias in Bohœmia, quæ pro fidei servo, atq; insuper pro Sancto* ( quia sanctissimi titulum, quem ei hic imprudenter tribuunt, soli DEO deberi iudico ) *IESU CHRISTI Martyre eum habeant condemnare?* D. Lutherus quidem eo in loco, quem in libello meo citavi: Si ille, inquit, fuit hæreticus, ego plus deus hæreticus sum, cum ille longe minora & pauciora dixerit, velut inchoans lucem veritatis aperire. At verò num hæc mea sunt verba, & num hypothetica aut dubitandi particula, Si, pro categorica & affirmandi accipienda erit? Quin verò etiam totius loci contextus, prorsus contrarium importat sensum. Ex his igitur, ut & alijs, pijs lectores, iudicium sumere poterunt, quod pessima fide, Antagonistæ in sua Responzione, mecum agant.

IV. Repetunt & negant iterum, quod supra in Proœmio etiam negarunt, *Quod sibi ipsis perfectam in omnibus puritatē ascribant.*

Volo

## DE PRIMA PARTE

Volo igitur & ego pro repetitis haberi, quæ præter verba Apologiæ ipsorum, vel mille testibus comprobare possum. Quod etiam amplissimi Ordines Regni Bohæmiæ, sua quadam ratione & conditione permiserint, ut in celeberrimo Conventu, VValdensicæ Religionis adstipulatores aut Status lateri ipsorum, coram Maiestate Imperatoria tunc adstarent, & quod cum illorum Confessione, propter exclusos, & damnatos in Proœmio eius, veteres & novos Sacramentarios minimè consentiant, supra quoq; ostensum est. Frustra igitur Fratres Bohæmici, ad hunc Conventum provocant, sicut de testimonio Magnificorum Dominorum est planum, qui & ipsi celeberrimo huic Conventui interfuerunt, & illius acta fide optima exponere potuerunt. Vnde ipsos de his tacere satius erat, cum hoc modo occasionem præbeant, ut quomodo illa se revera habeant, contra ipsorum figmenta, vel invitius cogar repetere.

V. Scribunt, *Se scientes & prudentes, nullos errores fovere, neq; fovere velle unquam deinceps.* Nonne verò sunt errores, quos ipsis iam olim D. Lutherus, in lib. de adoratione Sacramenti obiecit, quos nequaquam agnoverunt, sed in Bohæmico scripto, ei opposito mordicus, non sine repræhensione Lutheri, defenderunt? Quod ita factum in Respon-



## NOTATIONES.

Iponfione fua adverfus me edita, negare haud  
poffunt, nifi quod in eodem Bohæmico fcri-  
pto, à fe iftos errores fuiſſe declaratos, tan-  
demq; Lutherum in iſdem acquieuiſſe nuga-  
tur, ſicut paulo poſt oſtendendum erit. Nonne  
etiam ſunt errores, quos multo poſt, Synodus  
Poſnanienfis, Anno 1567. celebrata, à Mini-  
ſtris Auguſtanæ Confeſſionis, eis obiecit, &  
verbis formalibus ex Apologia ipſorum de-  
monſtravit. Quos omnes etiam nequaquam  
agnoverunt, ſed monitores ſuos, inſuper ma-  
gna acerbitate flagellarunt. Præterea nonne ſunt  
errores, quos D. Selneccerus & ego, in decem  
potiſſimum capitibus, ex Apologia & Cōfeſſio-  
nibus proprijs ipſorum recenſuimus. Quæ  
Dn. Benedictus Morgenſtern, & P. Kyrme-  
zerus cum alijs, ſimili ratione ipſis oppoſue-  
runt, nunc non pluribus attingo. In his tamen  
etiam nondum videri volunt, ſe delinquere, ſed  
in ſua ſententia præfractè perſiſtant, nifi quod er-  
rores quocunq; modo palliare, & negando  
atq; conviciando, ut ſolent, effugia quærere  
pergunt. Viderint ergò ipſi, *Quomodo contra  
tot monitores, ſua obſtinate defendentes, coram  
DEO & hominibus, ut hic interunt, culpa va-  
care poſſint.*

VI. His proximè addunt: *Sed & Do-  
mino Doctori optamus talem mentem, ut pro-  
be ſe*

## DE PRIMA PARTE

be secum reputet, an etiam res ita se habeat, ut scribit, nihil videlicet inter ipsos esse obscurum, aut minus perspicuum, vel etiam quod Papatum redoleat. Mea verò verba, non ἀπλῶς sed καθ' ἑσθ' ἰσχυροῦς, & quidem ex assertionem D. Lutheri, à me prolata esse, ex contextu adeò manifestum est, ut proluxa expositione non sit opus. Quod etiam laudibus Hussi (ad quas rursus se convertunt) nihil à me derogetur, quando maiorem gratiæ divinæ ubertatem, Germaniæ nostro tempore collatam prædico, nuper ostensum est. Ingens quoque est in eo dissimilitudo, quod verbis Lutheri, de simili ipsius, cum Hussio animi proposito recensent. Nam Hussus sub finem adhuc hæsit in erroribus istis, quos saltem initio Lutherus non statim agnovit, sed postea toto tempore, usque ad finem vitæ, graviter refutavit.

VII. Ornare se volunt Lutheri verbis, sed non integre, & iusto sensu citatis. Sic enim illa habent: Quid desiderem in vobis, quantum attinet ad Sacramentum Eucharistiæ, paulo ante satis ostendi, quanquam apud nos nec dum tam bono ordine, in externa distributione Sacramenti, omnia constituta sunt, ut de vobis audio &c. Hic manifestum est, aliquo modo commendari inter ipsos bonum ordinem, sed non primaria doctrinæ & fidei veræ capita. Admodum ineptè igitur, Respondentes

tes

## NOTATIONES.

res mei hinc argumentantur, Non verum esse quod scribam, nostra pleraq; ( pro quo hi falsarii posuerunt omnia ) abundè plana, perspicua & distincta prodüsse, & nihil tandem omnino in ijs ( nempe plerisq; ) Pontificiarum abominationum esse admissum & approbatum. Sic enim à non distributo ad distributum, sive ab ijs quæ ad fundamentum fidei spectant, & quæ ego intelligo, ad ea quæ minime huc referri possunt, progrediuntur.

VIII. Contendunt, Vehementer me falli, quod è scriptis & sermonibus, qui inter Lutherum & Waldenses Anno 1523. intercesserunt, probare conatus sim, doctrinam in Ecclesiis ipsorum, in multis fuisse perplexam, mutilam & veritati minus consentaneam. At verò res adeò plana & manifesta est, ex ipsius etiam Lutheri verbis, ut negantes merito levitatis arguantur. Nonne enim erat perplexa, quando in primario de Iustificatione hominis Articulo miscebant, & hodie adhuc in Confessionibus suis miscent, Fidem & opera, adeoq; Legem & Euangelium, meritum humanum & gratiam CHRISTI, efficientem & eius effectum? Nonne etiam in Sacramentis, quorum septem defendebant, divinæ institutiones, miscebantur cum traditionibus, & institutis humanis, quæ Sacramentorum loco

D habet

## DE PRIMA PARTE

haberi nequeunt: Deinde doctrina erat & adhuc est mutila, quia Baptismus apud eos spoliatur principali effectu suo, & infantibus fidem per eum conferri pernegatur. Sic in Sacra Cœna, verum corpus & verus sanguis Domini nostri IESU CHRISTI, huius Sacramenti substantialia, hic in terris adesse pernegantur, adeoq; corporalis CHRISTI præsentia, sicut & Orealis, eorundem substantialium, ab ipsis tollitur manducatio, & tantum spiritualis relinquitur. Nihil nunc addo de eo quod & indignorum manducationem non agnoscunt, quod nimirum verum & substantiale corpus Domini, in Sacra Cœna percipiunt &c. Præterea Coniugio adimitur honos, quem ei S. Scriptura tribuit, & ineptè iudicatur, maritos sancto Ministerio, aut officijs Ecclesiasticis non adhibendos. Quæ singula profecto, veritati etiam cœlesti minus consentanea esse, quilibet pius facile intelligit. De contemptu optimarum literarum & linguarum satis crasso, nunc nihil addo. Quod autem D. Lutherus tum non postulavit ab ipsis, quod hic addunt, *Vt aut formulas loquendi ipsius usurparent, aut consuetum ordinem & ritus suos omitterent, vel mutarent*: De eo in sequentibus ex verbis ipsius erit monendum. Narrant etiã, *Ipsam in Responsione ipsorum acquiescisse, quia nimirum postea, nihil amplius contra ipsos scripserit.*

## NOTATIONES.

*ps*erit. Sed quomodo scripto illā refutare potuit  
it, cum Bohœmico idiomate constaret, & eam  
domi inter manipulares suos isto tempore oc-  
cultantibus ipsis, vel non viderit, vel qui tranf-  
ferret, non aliquem habuerit.

**IX.** *Iudicia D. Lutheri posteriora &*  
*non priora, me sequi debuisse scribunt, quod*  
*hæc nimirum illis abrogaverit.* Ex Præfatione  
igitur decennio post scripta, nempe Anno  
1533. allegant hæc verba: Post multos ser-  
mones colloquiorum nostrorum, comperi eos  
re ipsa in fundamento prorsus nobiscum in fi-  
de nostra sentire. At verò D. Lutheri verba  
è Germanico conversa sic habent: Post mul-  
tam collationem, præsertim de Sacramento,  
quod attinet præsentiam corporis & sanguinis  
CHRISTI, in quo eos valde suspectos ha-  
bueram: inveni eos à nostra fide verbis vel  
phrasibus aliquantulum discrepare: In re ipsa  
tamen nobiscum sentire & credere &c. Hic  
planum est Lutherum loqui potissimum, de  
præsentia corporis & sanguinis CHRISTI  
in Sacra Cœna. Sed Fraterculi in genere, hæc  
de Fide ipsorum recensere, eum fingunt. In  
hoc tamen etiam de Sacra Cœna Articulo eos  
Luthero imposuisse, Bohœmica ipsorum Res-  
ponsio, sicut & ea quæ mihi opposita est, atq;  
subscriptions cum Calvinianis ab eis institutæ  
abundè testatum faciunt. Præterea pro eo  
D 2 quod

## DE PRIMA PARTE

quod Lutherus ait: In re ipsa nobiscum eos sentire & credere, Respondentes ponunt, in Fundamento. Ibidem optat à DEO per CHRISTVM sectas & schismata minui, & ut ex parte unanimes in una sententia & Spiritu coalescere possimus. Hoc idem cum alijs multis hactenus & ego, quo ad Fratres Bohæmicos, sed frustra exoptavi. Quod verò nequaquam in doctrina ipsorum, in hac postrema Præfatione acquieverit ( ut hic & infra fingunt ) inter alia multa hæc verba eius testantur: Nos Lutherani habemus clariorem & certiore ( veritatem dico, & non laudo nos ipsos ) de gratia & remissione peccatorum modum loquendi. Siquidem opera & fidem, purè & rectè, à se invicem discernimus, & cuiuslibet suam proprietatem & officium adscribimus. Ex quo postea, certo sententia ferri, & judicari potest, de alijs omnibus partibus doctrinæ. Vbi autem hoc necessarium, & perspicuum discrimen non clarè observatur, ibi semper aliquid manet de operibus admixtum, quod fidem formare debet &c. Quod verò etiam humilitas ipsorum, cuius simul meminit, ficta fuerit, & quod nunc non ex infirmitate, ut tunc quidem putavit, sed ex proposito & obstinate erronea scribant hactenus & defendant, nostrasq; Ecclesias graviter offendant, res ipsa abunde testatur.

X. Fal

## NOTATIONES.

X. Falsum est quod scribunt, *Apologiam ipsorum, Vitebergæ excusam, Lutheri satisfecisse, de Articulo Iustificationis.* Hinc ex eadem citant hic dicta, sed mutilata, & insuper integra folia omittunt, ex quibus manifestum est, crassos de hoc Articulo errores eos fovere, qui cum sacris literis, doctrina Lutheri & Ecclesiarum nostrarum pugnant, & quos partim cum Pontificijs, partim cum Osiandristis communes habent, sicut copiose videre licet fol. 54. 58. 60. 61. 63. Sic ubi hic ex eadem Apologia citant verba: Docemus quod bona opera, quantumvis magna, quantumvis in speciem sancta, non iustificam coram DEO: non sine dolo omittunt voculam, *citra.* Sic enim verba formalia habent: Docemus quod bona opera *citra IESU CHRISTI* fidem, quantumvis magna &c. non iustificam coram DEO: Ergo iustificationem gratuitam & fidem cum bonis operibus coniungunt, quia idem est ac si dicerent: Bona opera cum Fide iustificam. Quod enim hoc velint, convincunt ea quæ cum alibi, tum fol. 63. ibidem habentur. *Quare non importunitate aliqua,* cuius me hic Respondentes insimulant, sed veritatis amore impulsus, eos publice arguo, quod Augustanæ Confessionis, & nostrorum Doctorum autoritatem, huiusmodi erroneis dogmatibus, publice sparsis prætexunt, & in

D 3

fundas

## DE PRIMA PARTE

fundamento se cum his consentire contendunt. *Sic etiam minime quicquam hic maliciose ago, eos invadendo, & ex suspicionibus hostiliter pugnando*: sed ex proprijs ipsorum Confessionibus ista recenseo, idemque ratione professionis meae, & ex commiseratione Ecclesiarum nostrarum, quas licet sint repurgatae, animo tamen erga nos haud alio, quam hostili invadunt. Per me alioqui, ut maneant ipsorum Ecclesiae, facile licet, modo intra suos limites se continent, & nostras, quae Augustanam Confessionem profitentur, distrahere & offendere, nosque Ministros earum despiciere desinant. De quo si Collegium Theologicum Vitebergense, cuius hic verba Anno 1568. perscripta inserunt, rectius informatum fuisset, hos Fraterculos, nec Lutheri, nec nostrae Confessionis autoritate abuti concessisset, nec in eo ipsos confirmasset.

XI. *Errorem de septem Sacramentis, antiquitus & quidem sub ipsa etiam renascentis Evangelij luce, ad quem modum propugnaverint VValdenses, in priore meo scripto, ex Bohoemica Responsione ipsorum est ostensum. Quod igitur in eam, de qua hic scribunt sententiam, tunc Luthero responderint, non est verum. Idem frustra verbis Apologiae Confessionis nostrae, palliare conantur. Nam dictis illis nequaquam falsus & superstitiosus Sacramentorum*

torum



## NOTATIONES.

torum numerus approbatur, sed disertè indicatur, rerum ipsarum, quæ Sacramenti appellatione designantur, necessariam explicationem, distinctionem & usurpationem requiri. Quomodo etiam sit utendum Sacramentis, alias piè & rectè in nostris Ecclesijs docetur. Non ergò habent, quod jure errori suo, de septem Sacramentis vetusto, prætexere queant, sed quod à nostris edocti, eum correxerint, necesse est vt fateantur. Præterea ostendi in superioribus, quo consilio fuerit collatio doctrinæ VValdenficæ & nostræ, non solum recentioris sed & antiquioris instituenda, ideocq; contra seculos asserentes, hoc rectè & aptè factum esse, cordatis est manifestum. Quin verò & Spiritum dilectionis, cuius non aliqua in ipsis scintilla erga me, sed prorsus contrariū in Responsione edita apparet, animo equidē paratissimo, quantum ipsos quoq; attinet, Ecclesiæ probaturus eram, si non haberent nos pro ijs, qui foris simus, ac si non verbis solummodo, sed etiam re ipsa ad nos publice ac priuatim accederent, utpote à quibus errores aliquos, cum sacra Scriptura pugnantes corrigere didicerunt. Quod dum nondum faciunt, sed insuper in Ecclesijs nostris, vbi possunt, auditoribus illicitæ desertionis sunt autores, nec ego video, quomodo alienis peccatis communicando, spiritum dilectionis, eo quo ipsi volunt pacto, ipsis declarare debeamus.

## DE PRIMA PARTE

XII. De neglectis à se studijs literarum, & linguarum scientia scribunt *Se causas Lubtero in Responsione sua exposuisse.* Sed quam leves, intulsæ & ineptæ sint illæ, ex priore meo scripto, videre licet, in quo ex Bohœmico ipsorum idiomate conversæ recensentur. Vnde quod ad palliandum causas illas, hic inferitur, id nondum ad emolliendum nimis crassum, imò & Cyclopicum aut barbaricum, de optimis literis iudicium facit, sicut cuius constabit, collationem instituenti sententiæ ipsorum, quæ nunc proferunt, cum antiquiore, qua ad Anabaptistas & Syvenckfeldianos propius accedunt. Addunt, *Me ipsorum verba, ex interpretatione non vera, male intellexisse, & in meo libello ad illos infamandos recensuisse.* At verò interpretes à me sunt adhibiti, Ministri Ecclesiæ pijs, quibus Bohœmica lingua, non minus quam ipsis Respondentibus meis, qui se Bohœmos esse profitentur, fuit materna. Nec verba aliter, quam ut sonant, una cum ipsis intelligere potui & debui, quæ si putant ad infamandos ipsos esse directa, non suo nomine publicis scriptis illa inferere, & edere debebant. Esto autem verba ex Responsione Bohœmica, ob interpretationem non veram, male esse intellecta, num verò ea etiam, quæ D. Lutheri verbis recensui, de insulso ipsorum, quo ad studia literarum iudicio, falsitatis argumententur?

## NOTATIONES.

ent? Quod etiam addunt, *Nostrorum* temporum aliam esse rationem, & quod plurimi ex ipsis, in doctrina & literarum studijs, ita versari soleant, ut patrimonia etiam sua in hac studia impendant: Id sane de quibusdam Ministris, huius societatis, forsitan concedi poterit, sed quomodo hoc accommodabunt ad reliquos, ex media plebe electos concionatores, longe maiore numero, idiotas, Textores, Sartores, Sutores, Pelliones, Pistoris, Pannifices, Mercatores, Tinctores, qui literarum omninò sunt rudes, & ideò non sunt διδακτικοί, nec sciunt ἐρροτομεῖν, quod omninò Apostolus à docentibus requirit, cuius præceptum hic violari ab ipsis in confesso est. Quin etiam hodie, nonnullos Seniores inter ipsos, idem cum maioribus suis, barbaricè & crassè, de literarum studijs sentire, ea quantum possunt impedire, librorum Latinorum lectionem interdicare, laboribus, illiberalibus & sordidis, doctos à studijs avocare, & miris artibus, ad Bohœmica sua scripta retrahere, præter alios testis est D. Iohannes Auerbeccius, qui proximis annis inter ipsos vixit, & licet à Confessione ipsorum non esset alienus, tamen multa, in quibus haud leviter delinquerent notavit, & graviter refutavit.

XIII, Quo consilio aliquos errores Hufsi, quorum Respondentes hic iterum mentionem faciunt, non meis, sed D. Lutheri verbis

D 5

bis

## DE PRIMA PARTE

bis in priore scripto recensuerim, supra est ostensum, quod nimirum id nequaquam, animo vituperandi, hunc sanctum Martyrem sit factum, sed ob institutam collationem lucis Evangelicæ doctrinæ, quæ nostris temporibus effulsit plenior & uberior, quam qualis fuit seculo Husi, cuius sectatores, neoterici ( quia de antiquioribus, & qui Hussum præcesserunt, hic non dico ) Valdenses haberi volunt. Vnde ostendi hanc pleniorē lucem, ab his agnoscendam, & grato pectore una nobiscū, in eadē, non autē segregata Confessione, esse amplectendam. *Non igitur plenis buccis, ut Antagonistæ hic calumniantur, de illis gloriari unquam volui, ideoque ut in eo etiam moderatio mea perspiciatur, ut non in priore scripto, ita nec in hoc altero, errorum Husi catalogum, meis verbis pertexere volo.* Quod addunt certamina & rixas sibi nunquam cordi fuisse, cogitare debebant, non solum eas vitandas, sed nec occasionem iisdem præbendam esse. Id quod hactenus ab ipsis esse factum, plusquam manifestum est, in ijs in quibus habitant pro provincijs.

XIV. *Nugantur, Lutherum fortè apud me plus valere, quam Legem divinam, & sacras literas, & me præ illo contemnere, & rejicere alios universos. Ego verò nec sacre scripturæ Lutherum præfero, nec alios quosvis*

vis

## NOTATIONES.

vis præ illo contemno, sed frequentior Lutheri à me mentio facta est, Primo, collationis inter ipsum institutæ & Hussum ratione. Secundo ut ostenderem, cum de testimonio Lutheri, maior doctrinæ in nostris quam V Valdensicis Ecclesijs sit puritas, ipsis potius ad nos, quam nobis ad ipsos accedendum. Tertio cum hoc facere reculent, falso eos commendationibus illius uti monstrandum fuit. Quarto, ut eximeretur alijs etiam inter Bohæmos, vana persuasio, qua statuunt, Lutherum & Ecclesiarum nostrarum Doctores, ab Husso & successoribus eius, synceram doctrinam percepisse, eâq; in finitimas regiones, è Bohæmia propagatam esse. At verò contrarium D. Lutherus cum alibi, tum in Epistola, quam in Confessionibus suis præmittunt, indicat. His igitur potissimum causis, nisi permotus fuisset, satis rarum, ut alioqui soleo, humanorum testimoniorum, in maximis fidei nostræ capitibus, mentionem fecissem, utpote quod sine admonitione Antagonistarum, probè scio & statuo, in negotio salutis, sacris omninò oraculis, ut unico fundamento, nos niti, & firmiter acquiescere debere.

XV. De Respondentibus contra, haud obscure ex verbis, quæ subiiciunt, colligitur, *Ipsos ad autores societatis, & majores suos provocare, & eos nostris, ut recentioribus, ratione*

## DE PRIMA PARTE

*tionem antiquitatis præferre, ut hoc modo, religionem nostram, novitatis arguant, cum tamen nos puritatem Euangelicam, omnium antiquissimam, & inde ab initio mundi propositam, observemus. Quod si veritatem ingenuè fateri volebant, non tantum se à nostris, qualitercunq; adiutos esse, agnoscere debebant, sed etiam palam ab ipsis, post alios errores, quos à nostris edocti correxerunt, cæteri, qui adhuc restant, agnoscendi & revocandi, nec amplius Confessiones, quibus inserti sunt, defendendæ erant. Ac esto sane, quod pristina eorum non fuerint inania, non tamen ideò antiquitas qualiscunq; præferenda erat doctrinæ puritati, & clariori luci, quæ subsequenti tempore effulsit. Hinc ergò judicare licet an non supercilio aut fastu quodã, potius dogmatib, maiorũ suorum impurioribus, quam nostris purioribus adhæreant, & num hac ratione fidem suam non magis in ipsis maioribus, aut præscriptis eorum, quam in sacris literis, & patefacta ex ijs, in nostris Ecclesijs veritate, fundatam esse velint?*

XVI. Calumniæ quam his annectunt, brevissimè illud oppono: Quod nec propter nostras, utpote Germanicas, Confessionem Augustanæ addictas, nec propter Bohæmicas Ecclesias, aliquid turbarum excitaverim: Sed quas iam pridem VValdensici Ministri turbaverunt, eas contra injurias ipsorum, quantum in  
me

## NOTATIONES.

me est defendere, & reliquas contra easdem  
præmonere & præmunire studeo. Notabunt  
autem Lectores illecebras, quas ipsi hic confis-  
tentur, quibus inter alia, istis in locis auditores,  
ex Ecclesijs repurgatis circumvenire, & ad se  
allicere solent, & quas ab alijs non semel expo-  
sitas esse memini. Verba igitur formalia ipso-  
rum subiungo, ut quando infra, pro more suo,  
rursus negabunt, de his manifestò convinci pos-  
sint. Sic autem, præmissa mentione Ecclesia-  
rum Germanicarum & Bohæmicarum, habent  
pag. 52. & 53. *Hic verò iudicet, obsecro, nu-  
nusquicq; an non fuerit æquum & iustum, ut  
qui non ita pridem, neq; ( ut multis argumen-  
tis cognoscitur ) constanter, cum Confessione  
Augustana consentire se profitentur, hi igitur,  
cum animadvertant, nos longo tempore ante,  
& dudum quidem, cum illis primis Confessio-  
nis eius defensoribus, pium consensum, in præ-  
cipuis capitibus, verè & re ipsa retinere, ut  
se nobis adjungant potius, atq; hoc modo iudici-  
um tantorum virorum, quorum longè major  
fuit autoritas, probare se ipso facto testentur,  
quam ut nos, non nisi omisissis & abiectis, secun-  
dum ipsorum arbitrium, multis, quæ maximo  
cum commodo, ad inserviendum Ecclesie usur-  
pari possunt, ut experientia cognita, ac probe*  
*jama*

## DE PRIMA PARTE

*iam perspecta, quæ & D. Lutherus, felicitis re-  
cordationis, elogio honesto ornavit, imò su-  
is etiam prætulit, his igitur omisissis, ut cum no-  
vis quibusdam Doctõribus, qui vix aliquid  
certum probatumq; habent, cui firmiter adhæ-  
reant, sed demum, nunc hoc, nunc illud captant  
& quærunt, jungamur? Hæc Respon-  
dentes, Quod igitur auditoribus Ecclesiarum  
ipsis vicinarum, sive Germanicarum, sive Bo-  
hæmicarum, talia suggerunt, in eo nequa-  
quam quod æquum & justum est, ipsos ten-  
tare, cum ex testimonijs sacrarum literarum,  
quæ in capite de Ecclesia sunt assignata, tum  
ex eo planum est, quod neutiquam hoc consi-  
lio, à primis defensoribus Augustanæ Confes-  
sionis, elogio sunt ornati, sed potius contrario  
fine, nimirum ut ipsi se nobis tandem coniun-  
gerent, & schismata minuerentur, ut Luthe-  
rus loquitur. Idem minimè ipsos prætulit suis,  
quando scripsit: Quod cultiores & liberiores,  
vel etiam illustriores & meliores prodierint.  
Nam hoc non respectu suorum, aut quod  
Valdenses carerent erroribus, quodq; no-  
biscum, verè & re ipsa consentirent, in præci-  
pui capitibus (ut fingunt) intellexit, sed quod  
contextus verborum ostendit, judicare voluit,  
iplos ante rematam in Germania Evangelij lu-  
cem, in doctrina & literis, incultiores quidem,  
obscuriores & impuriore fuisse, sed tandem  
quæ*



## NOTATIONES.

quædam emendatius protulisse. Denic̄ quo- modo non in extremū odium & contemptum (quod tamen postea audent negare) nos ad- ducerent, cum amplectentes Augustanam Confessionem, novitatis, inconstantia, incer- titudinis & levitatis, in negotio fidei & salutis non ferendæ his verbis apud quosuis insimu- lent. Ergo si æquitatis, integritatis & ve- ritatis, justam rationem haberent, omninó ab huiusmodi motionibus & suggestionibus, apud auditores aliarum, utpote nostrarum con- gregationum abstinere.

XVII. Ad censuram Ministrorum verbi in Ecclesiis nostris Respondentes pro- grediuntur, & satis pro imperio de ijs mecum exoptulant. *Non enim opus est ut ostendam quibuscum eos consentire velim*, cum ex meo scripto abundè intelligatur, me de Ministris Ecclesiarum Augustanæ Confessionis potissimum loqui, ad cuius primos defensores & ipsi multoties prouocant. De his igitur ple- risq̄ (quia, si ab vno atq̄ altero secus fiat, cæteris id imputari nequit) sentio, conatum sese gerendi, quemadmodum sacrae literæ do- cent, minimè deesse, licet perfectionem illam, quæ de mandato DEI requiritur, & de qua frustrà Antagonistæ glorientur, in hac infirmi- tate humana assequi se non posse sciant. Vnde ex ijs quisq̄ in loco certo eorū unico, ad quem

## DE PRIMA PARTE

quem legitimè vocatus est, suo fungitur officio, nec alios invadit cœtus, ut in ijs contra vocationem sacra administret, nec aliorum auditores vel ipse, vel per alios ad suum cœtum allicit. Deinde quicumq̃ candido & aperto animo Confessione Augustanæ subscribunt, eos non dubito purè syncereq̃ eandem amplecti, & consensum firmum aut Concordiam constanter cum socijs eiusdem Confessionis quærere, & quantum salva veritate fieri potest retinere, eiusq̃ conservandæ causa, nihil non ubi opus est sustinere. Disciplinam etiam, quam vocant sanctam, & honestum in Ecclesia ordinem, quantum in ipsis est, minime negligi, multis in locis testatur res ipsa. Quod autem ad auditores attinet, licet illi Ministris Ecclesiarum nostrarum peculiariter non sint obligati, ut tanquam mancipia sint eis communiter subiecti, tamen multi semper sunt, qui iuxta præscriptum verbi divini, Præpositis aut Pastoribus suis, in ijs quæ sunt Ministerij obedientiam præstant. Ad me tandem in specie delabuntur, & ut habeant aliquid quod reprehendant obijciunt, *Quod mihi non satis cum Collegis conveniat.* Cum autem ex suspicionibus aut rumusculis id conceperint, non indicare possunt, cur & in quo aliqua fuerit orta, & quomodo sit composita dissensio, ideo nec opus est, ut de illo quicquam subijciam, sicut nec de eo, quod consensum,

sensum,

## NOTATIONES.

sensum, concordiam & pietatis studium de Ecclesia Iglaviensium, cui tunc præfui, perverse Athesiani illi in dubium vocant. Quis enim sanus non intelligit, contra plurima sacræ Scripturæ testimonia, & omnium ætatum exempla, cum Donatistis, Catharis & Anabaptistis, eos somniare Ecclesiam, in qua docentes & auditores, in omnibus, ut loquuntur, promptè libentiq; animo sese recte gerant & obtemperent. Quare Fratres Bohæmici, hinc causas sui schismatis, verè & ingenuè non possunt prætexere. De Ministrorum quoq; indignitate, jam olim Viglevistas, prædecessores ipsorum, idem disputasse aut sensisse, Apologia Augustanæ Confessionis Articulo VII, meminit. Quorsum autem opus est ea de re contendere, cum officio Ministrorum, aut administrationibus sacris, nihil per indignitatem ipsorum detrahatur. Ratio ibidem evidentissima additur, quod repræsentant CHRISTI personam, propter vocationem Ecclesiæ, non vero proprias personas, juxta illud: Qui vos audit, me audit &c. Sic Articulo sequenti ostenditur, quid de huiusmodi censura, tam Ministrorum quam populi, à Respondentibus meis propolita, sentiendum sit, ubi dicitur: Cœterum monuit nos CHRISTVS, in collationibus de Ecclesia ne offensi privatis vitijs, sive Sacerdotum sive populi schismata excitemus, sicut scelerate fecerunt Donatistæ.

E Nonne

## DE PRIMÆ PARTE

Nonne autem hic falsi Fratres idem cum  
Svenckfeldio statunt, quod is Ecclesiæ mi-  
nister non possit alios salubriter docere, aut  
Sacramenta ritè administrare, qui non ipse sit  
verè renovatus, iustus & pius. Id quod haud  
abs re cum alijs fanaticorum delirijs, quorum  
aliqua VValdenes cum illis habent com-  
munia, in lib. Concordiæ damnatur. Quid  
aliud etiam postulando talia à nostris, tam  
Pastoribus quam populo indicant, quam  
quod ex *Φιλανθία* sibi nimium in istis place-  
ant, & quærant inanem gloriam ex ijs, quibus  
omnibus vix ipsi, vel populus promptè li-  
bentiq; animo subiecti sunt. Nam quod sese  
non in omnibus gerant, quemadmodum sacræ  
literæ docent, vel ex eo constat, quod voca-  
tionem Apostolorum singularem, qua pote-  
stas ubiq; docendi eis mandata erat, confun-  
dunt cum vocatione communi aliorum Mini-  
strorum, quibus in uno certo loco sacra sunt  
administranda. Item, In multis doctrinæ  
Articulis corruptelas, manifesto cum verbo  
DEI pugnantes, contra tot admonitiones &  
jam Synodorum mordicus defendunt. Iam  
quía in principalioribus, contraria sacris literis  
statuunt frustra, consensum inter se, discipli-  
nam & ordinem, qui ab ipsis in externis ob-  
servatur, prædicant. Nec vero nunc tantum  
illa proferunt, sed pluribus ea superiori tem-  
pore

## NOTATIONES.

pore inculcarunt, in Responsione Iohannis Blahoslauij, nomine totius societatis scripta, de Quaestione: Cur Fratres ab alijs vnitatib<sup>9</sup> sub vna, vel sub vtraq<sup>ue</sup>, vt vocant, seiungantur &c. Similis Responsio Anno 1566. à Seniorib<sup>9</sup> Vnitatis Fratrum in Moravia perscripta ad Illustrem Comitem Iohannem Fridericum P. M. exhibita mihi est, cum Anno 1577. in arcem Cunstadianam me ad se euocasset. In his igitur Ecclesiam in qua tam docentes, quam auditores in hac vita, sint profus immunus, ab omni errore & peccato, contra testimonia & exempla sacrarum literarum, & omnium ætatum describunt, aut potius imaginantur. Quod de conditionibus concordia addunt, non video æquiores ipsis proponi posse, quam quales ab Episcopis, Augustanae Confessione addictis, in Prussia ipsis jam olim præscriptæ fuerunt, quas tamen ipsi ferre diu non potuerunt. De consensu in Polonia, cuius hic meminerunt, qui inter tres diversas & aduersas Confessiones, Augustanam, VValdensicam (quam vocant Bohæmicam) & Helveticam est initus, quid synceriores Theologi in Germania iudicent, in historia Augustanae Confessionis, ab ipsis scripta, videre licet. An verò etiam aliquis consensus, quo ad Confessionem, ab ipsis cum Ordinibus Regni, in Comitibus Anni 1575. sit initus, Notatione XIV, & XV. de Procæmio ostensum est.

## DE PRIMA PARTE

XVIII. Verba mea citant, ex capite de disciplina, quibus vel inviti perhibent mihi testimonium, quod nequaquam à me studium disciplinæ in Ecclesia mihi commendata fuerit neglectum, idc̄q̄ contra clamores ipsorum & aliorum, qui injuria Ministros Ecclesiarum nostrarum afficiunt, quasi omnem disciplinæ curam abiecerint, & ad manifesta scelera, quæ contra utramq̄ Decalogi tabulam perpetrantur, connivere soleant. Errant autem *Quod putant in Ecclesia ista, id ne agi quidem inceptum esse*, cum re ipsa, tum quidem temporis ita præstitum sit, ut multis exemplis testatum facere possem. Sic ipsi Antagonistæ ex ijs unum, sed pessima fide infra recensent, quo deductio funebris, non verò sepultura & terra patria, nec ipsi defuncto, sed seductori eius Patri, & desertori Ecclesiæ meæ, denegata fuit, cum publico multis annis offendiculo, toti Ecclesiæ fuisset &c. Disciplinæ etiam Ecclesiasticæ, tunc ex ijs sponte se quidam subjecerunt qui non infimæ in Repub. illa erant auctoritatis, ad consulendum conscientijs suis, & ut plus consolationis accederet ipsis. An verò disciplina VValdensium, quam longo usu se probatam habere gloriantur, ordine cum exemplo primitivæ Ecclesiæ congruat, complures certant, & adhuc sub iudice lis est.

XIX.

## NOTATIONES.

XIX. Respondentes iudicium suum, de Ministris Ecclesiarum in Bohemia & Moravia, ipsis vicinarum subiiciunt, & de maiore parte scribunt, Esse eos discordes, inter se & dissentientes, esse inconstantes, multos etiam qui sua tantum commoda quærant, qui vno in loco Lutberanos se, vel Evangelicos esse profiteantur: Postquam autem in alium migrarint, non dubitent vel ipsis Pontificijs se adiungere, & se cū his facere palam confiteri: Sacra etiam nunc hoc nunc illo modo administrare: verbis pro concione in Missam idolatricam invehere, & aduersus hanc multa dicere, mox vbi de suggesto descenderunt, ad altare Missam ipsam Pontificiorum more celebrare, vel etiam obambulationū idololatricarum solennes illos processus instituere. Quærendum etiam putant, quomodo nonnulli munera illa Ecclesiastica adepti sint, quibus artibus? quo animo? qua deinceps fide & reverentia illa administrant. Hæc singula nōs, ad quos spectant, examinanda & refutanda relinquo, cum non quoslibet alios, sed Ecclesiarum nostrarum Ministros, qui eidem Confessione Augustanæ, aperte & candidè subscripserunt, eamq; constanter profitentur, defendendos susceperim. Ego sane de illis, cum quibus

## DE PRIMA PARTE

vel coram, vel per literas contuli, longè diversum cognovi, & præcipuè de ijs, qui Agendam Ecclesiasticam Bohœnico idiomate ediderunt, eamq̃ ex aliquot probatis & legitimis, cumq̃ Augustana Confessione congruentibus Agendis, Vitebergensi videlicet, Brandeburgensi, & VVirtēbergensi, eo quo vixi inter Bohœmos tempore collegerunt. Notabunt autem Lectores, Bohœnicos Fratres ut delicatulos, molestissimè ferre examinationem, à me vel ab alijs, de doctrina & ritibus ipsorum susceptam, & tamen ipsos non jam primum, sed longe antea, & multoties, Ecclesiarum nostrarum Ministros, & reliquos vicinos, odiose & hostiliter, tam voce quam scriptis, privatim & publicè, ob discordiam, inconstantiam, neglectum disciplinæ & vitam non omnibus modis impollutam repræhendisse, & miris modis exagitalle. At verò quod sibi non volebant fieri, hætenus nec alijs facere, & causas ne fieret, jure omni præcavere debuissent.

XX. Paulum Kyrmezerum, qui & ipse eodem tempore, & in eadem regione, se hypocrisi ipsorum scripto opposuit, nominatim perstringunt, *Et eum ne utiquam mecum, per omnia consentire affirmant.* Ego verò quo ad principalem scopum, nullam video dissensionem, quod nimirum uterq̃ schisma VValdensium, & distractiones in Ecclesiis nostris

stris



## NOTATIONES.

stris per ipsos excitatas, haudquaquam probare possit. Nec solummodo mecum recte coelibarum refutat, sed etiam notationes addit veras de quaestionibus duabus. I. Cur Fratres ab alijs unitatibus sub una vel utraq; uevocant, sejungantur. II. Cur homines (mancipia sua) ad obedientiam obligent. Falsum autem & hoc est quod scribunt, nos ambo unice, unoq; animo conspirasse, nulla iusta de causa. Quae enim potest inter nos esse conspiratio, cum neuter alterum viderit, nec unquam per literas, vel alio modo contulerimus. Quas etiam iustas, ego imprimis causas scriptionis habuerim, in libellis meis satis superq; ostenditur. Pace autem ac quiete sua, cuius mentionem faciunt, facile per me ipsas frui licuisset, si Ecclesias vicinas, & quidem res purgatas, haecenus intactas reliquissent, corruptelas doctrinae publice non sparsissent, clam domos non subissent, & auditoribus nostris, causa delectionis non praebuissent. Argumentum ergo ἀπολογίαν est, quo Respondentes mei contendunt: *Nobis non scribendum fuisse, quia non simus provocati ab ipsis.* Multae enim scriptionum, tam impulsivae quam finales causae esse possunt, utpote investigatio veritatis, informatio & confirmatio in sana doctrina, refutatio falsorum dogmatum, praemonitio auditorum, ut ab iisdem, sicut & a scanda-

## DE PRIMA PARTE

lis perfidæ defectionis, alijsq; facinoribus abstineant, & quæ perverse admissa sunt emendent. Quin etiam hoc argumentum facit, ad retundendam calumniam, quasi ex affectibus, aut vindictæ cupiditate, vel damnandi ipsos studio, à nobis scriptio suscepta sit. Nam si nos non provocarunt, non ex eiusmodi affectibus, sed alias ob causas, quas recensui, nos eis opposuimus. Interim verò de Responsione eorum, id potius judicandum erit, quod vindictæ cupiditate, & ulterius Ecclesias nostras seducendi, distrahendi & opprimendi in istis locis studio, sit tanta acerbitate instituta. Deniq; cur & nobis non liceat de dogmatibus, de ritibus & moribus Fratrum istorum inquirere, cum ipsi toties cum imperio nos reprehendere, judicare & condemnare soleant, quoties causas, cur templa eadem nobiscum frequentare, & vni eidemq; Confessionis subscribere, & se nobis nolint adiungere exponunt, ut notationibus proximè præmissis ostensum est.

X XI. De horrendis erroribus ipsorum & abominationibus, simpliciter aut nudè, eo quo recensent modo, non scripsi, sed in Articulo de sacra Coena, nimia levitate, qua ipsi verba institutionis, iam olim interpretando utuntur, permotus inserui, quod abhorreat animus singula recensere, quæ impudenter ab illis,

lis,

## NOTATIONES.

lis, in Responsione D. Luthero opposita sub-  
junguntur, sicut ibidem pluribus videre licet.  
Sic in meo libello scripsi, varia abominationū  
Antichristi capita, in libris pro ipsorum Sa-  
cerdotibus exprimi. Hos enim Episcopos  
cum Scriptura nominavi, licet scribant, nun-  
quam tales inter ipsos fuisse, utpote qui fortē  
nec digni erant, ut sic voce Apostolica appel-  
larentur. Ex istis igitur libris, sive ab uno, si-  
ve ab aliquibus Ministris, inter ipsos confar-  
cinatis, sicut Kyrmezerus in specie multa eius-  
modi abominationum capita recenset: ita  
nequaquam possunt à nobis esse conficta,  
*Nec ego quibuscunq; potui nugis & figmentis*  
*chartas meas implevi,* quemadmodum Re-  
spondentes mei, veritatis, cuius convincuntur,  
obstinati osiores, & redargutionis justæ, quam  
maximè impatientes, insolenter pronunciare,  
hic non verentur.

XXII. Cum Antagonistæ hos, de  
quibus hic sermo est, libros & multos alios,  
non publico omnium ului permittant, sed si  
quis eos legere cupiat, necesse sit ut singulari  
arte illos, per alios à consortibus ipsorum ob-  
tineat, qua fronte audent affirmare, se non oc-  
cultè vel clam docere, aut facere quicquam ta-  
le, quod cum alijs quorum interest, minimè  
communicare velint? Quis impudentia etiam  
addunt, *Me malitiose talia fingere?* Nonne

E 5

hoc

## DE PRIMA PARTE

hoc idem res ipsa testatur, de Responsione, ad  
verius in persona fide compilata, & ante plu-  
rimos annos typis exscripta, tantoq; tempo-  
re minime publicata, sed in tenebris & clam so-  
cietatis illius usibus reservata, donec tandem  
post obitum meum, nemine forsitan iustam  
meam, vel Ecclesiarum nostrarum causam, ut  
cæptum est, defendente palam omnibus eam  
obtrudere possent? Idem certe jam olim iudoles  
vt D. Lutherus, quando iudicavit, hos Fra-  
tres fidem suam captivam in sua lingua tenere,  
siquidem ore aliud se sentire profiterentur,  
quam in forum scripta edita loquuntur. Idem  
ergo & nos, haud abs re colligimus, ex varijs  
eorum cothurnis, & ambiguis phrasibus, qui-  
bus tam in Confessionibus, quam in alijs scrip-  
tis suis utuntur, de multis suæ doctrinæ parti-  
bus, quas in dubium vocari, aut quas coram  
alijs, se non defendere posse animadvertunt.  
Hinc sententias huiusmodi, ambiguo sensu po-  
sitas, aliter coram nostris detorquent & inter-  
pretantur. Qua verò alia etiam de causa, de-  
sertores nostræ congregationis, tanta odia,  
adversus ordinarios, & legitime vocatos Pa-  
stres suos concipiunt, quam quod loquacis-  
si Valdensici, singulari forma pietatis, se ipsos  
vendicantes, Ministros societati ipsorum non  
adhibitos, discordes, inconstantes, disciplinæ  
olores, suis commodis inhiantes, & Simonia-  
cos, qui stipendia accipiant, vociferantur  
esse,

## NOTATIONES.

esse, & se quidem solos DEI filios atq; electos, alios verò seculi filios, quos si decipiant, mundum esse deceptum, pronunciant. Quare cum simul consequens ipsum, omnibus plusquam manifesto constet, qua fronte eius antecedens negare audent?

XXIII. De scriptis Doctorum, qui Augustanæ Confessioni sunt addicti, Nequaquam, ut fingunt, me gloriari aut superbire probabunt, sed quod ipse facio, alios etiam moneo, ut quæ unquam scripta nostrorum privata, cum iudicio legant, nec ullius autoritate, se ab unica, doctrinæ cœlestis Norma, seduci patiantur. Non igitur ad omnia oculos me claudere, sed suo loco, quantum in me est, erronea lingulari studio, nec sine gravioribus molestiis, incommodis & injuriis, quas alicubi propterea sustinui, me palam reprehendisse, & ubi potui correxisse, testabuntur multi, in celeberrimis Academiis & Ecclesiis, in quibus publicis officiis functus sum. Sic eadem de re testari possunt, Theses quatuor disputationum, de Norma & Fundamento, religionis ac fidei Christianæ quæ à me conscriptæ, in Academia IVLIA typis excusæ, & publicè sunt defensæ. Quod autem nec tunc, à vocatione & professione mea aliena curare, aut ea, quæ ad me nihil attinent, tractanda susceperim, quando priorem Antithesin, nostræ & VValdensis  
cæ Con

## DE PRIMA PARTE

cæ Confessionis institui, ex ijs quæ hæcenus  
exposita sunt, & deinceps exponenda erunt, ne  
mini bono amplius obscurum esse potest. Et  
contra quod Bohæmicos Fratres culpa redar-  
guat, & quod in se non descendant, nec intra  
suam pelliculam se contineant, non una ratio-  
ne palam constat, nempe, quod iussu alicubi à  
Magistratu (sicut & ab Illustri Comite, Io-  
hanne Friderico P. M. in Moravia factum est  
se, nuper memini, ) ut se Ecclesiis Augustanæ  
Confessionis apertè coniungant, tam docen-  
tes in illis, quam populum odiose repræhen-  
dant, & quæ nunquam ipsi rectè in univèrsum  
& sine hypocrisi præstiterunt, à nostris ad a-  
missim fieri postulent. Non autem voce tan-  
tum vel scripto, sed & ipso facto aliena tra-  
ctant, quando ad easdem Ecclesias, à quibus  
segregati sunt, contra vocationem suam ex-  
currunt, & lenocinijs verborum (de quibus  
Notatione X V I. quædam assignata sunt) au-  
ditores nostros eo perducunt, ut spreto sancto  
Ministerio, doctrina & administrationibus sa-  
cris, legitimorum suorum Pastorum, ad ipsos  
ut alienos deficient, & contra Spiritus sancti  
præceptum, congregationem suam deserant.  
De quo omninò tandem, gravior ipsis reddenda  
erit ratio, præsertim cum eadem, quæ à  
verbo DEI, & vocatione Ministrorum medi-  
ata, manifesto discrepant, animo gladiatorio  
tucris

## NOTATIONES.

rui non desinant, ut ex Responsione hac planum est.

XXIV. Refutationes corruptelarum, in doctrina ipsorum, & iustas de iniurijs, quibus hactenus Ecclesiae nostrae per Bohemiam, Moraviam, Poloniam Prussiae ab his Fratribus afficiuntur, accusationes, *Sine mendacio criminationes nominare haud possunt.* Quod si putant se per eas infamari, non mihi illud, sed sibi ipsis imputabunt, utpote qui infamazione digna spargere, & admittere non debebant. Ad Confessionem verò suam novissimam, hic frustra nos dimittunt, cum & in illa erronea dogmata non pauciora, sed vel plura habeantur, quam in quibusdam antiquioribus, atque cothurni in aliquot locis eiusmodi sint inserti, qui cū sanorum verborū forma, in verbo DEI expressa, & in Cōfessione Augustana, ex eo repetita, neutiquam consentiunt. Quomodo igitur ex segregata hac ipsorum Confessione, quae pariter emendatione opus habet, ea quae, ut ipsi loquuntur, obscurius minusve commode, aut perperam etiam, vel à maioribus Fratrum olim, vel ab ipsis ante hoc tempus exposita sunt, corrigemus?

XXV. Quod in fine huius partis, in libello (quod titulus ostendit) famoso isto, Examinationem meam nominant futilem, & de mea etiam persona, magna verborum levitate decernunt, meritò hoc insullum ipsorum iudicium

## DE PRIMA PARTE

judicium, ut pertinacissimorum adversario-  
rum, sulcū deq̄ facio, & oppono illis hono-  
rifica de meo scripto elegia, quæ non tantum  
ab alijs, supremæ & infimæ sortis, viris optimis,  
iudicio, doctrina & pietate præstantibus, sed  
& celebrioribus tunc Theologis, in Acade-  
mijs quinque Vitebergica, Lipsica, Marchica  
Megapolitana & Iulia, ante, circa & post edi-  
tionem illius, Magnificis patronis, me nondum  
id sciente vel expetente, sunt communicata.  
Ex his igitur singuli, descriptionis labores, pro  
defensione veritatis, adversus contradicentes,  
à me susceptos, non solum accuratius quævis  
pensitando, candidè approbarunt, sed pleriq̄  
etiam piè gratias egerunt. Quare vel unius, ex  
his clarissimis viris, honestum & grave testis  
monium, merito pluris facio, quam *λοιδόριαν*,  
& hostilem insultationem quamcumq̄ omni-  
um VValdensicorum blateronum, qui vix ne  
uni quidem ex istis, gravitate iudicij, sinceritas-  
te doctrinæ, & præstantia eruditionis, compa-  
rari possunt. Exempla istorum, cum & mihi  
sint communicata, contra hos calumnias-  
tores, cum alijs, tandem edenda  
erunt.

EX



## NOTATIONES.

# EX INITIO RE- SPONSIONIS, AD ALTERAM PARTEM EXAMINATIONIS, NOTATIONES.

**P**RIMA, Respondentes in Ex-  
ordio hinc scribunt, *Quod in secunda parte  
Examinationis, nihil reperiatu novi,  
quod non jam antea à me fuerit ventilatum.*  
At vero cum indigne serant, errores ipsorum  
pristinos, quamvis non absq̃ causa, aliqua ex  
parte repeti, & ideo mihi in Proœmio Res-  
pensionis suæ obiecerint, quod ex libris ipso-  
rum excerpserim, vetusta quadam & obsole-  
ta, & tanquam è tenebris eruta, quæ ab ipsis,  
quantum res tulerit, correctæ iam pridem sint,  
cumq̃ ex recentioribus Confessionibus, de  
doctrina quam profitentur, iudicium fieri ve-  
lit, ideo in secunda parte peculiariter, & di-  
stinctis capitibus demonstrandum fuit, nec in  
illis puritatem eam depræhendi, quam forma-  
sanorum verborum, in sacris literis requirit, &  
quæ in Confessione nostrarum Ecclesiarum,  
quas verbis illi, licet non re. agnoscunt ortho-  
doxas, est compræhensa. Qua equidem ratio-  
ne censui animos, si qui sanabiles essent, eo  
magis flectendos, ut segregata ipsorum Con-  
fessione

Confessione

## DE SECUNDA PARTE

fessione omiffa, in puriore una eademq; no-  
ftra acquiefcerent.

II. Addunt, *Me ficut in priore par-  
te, ita hoc etiam loco, falſa crimina ſpargere.*  
Quod ſi verba formalia ſua quæ integris ſen-  
tentis, & non particulatim, aut mutilate arri-  
piendo, voculas tantum aliquas, ex Apolo-  
gia, Illuſtriſſimo Principi Marchioni Brande-  
burgico oblata, & è recentiori Confefſione  
ipſorum, à me aſignata ſunt, pro falſis crimin-  
ibus habent, non mihi ſed ſibi ipſis ea, ut au-  
thoribus, iterum imputabunt. Denicq; non  
de mea Examinatione, ſed de ipſorum Re-  
ſponſione, quod hic aſſuunt, verum eſſe,  
*Ipfos confuſe, diſperſe & nullo ordine ſua pro-  
ferre,* in ſingulis partibus & capitibus, me  
etiam non monente, ab attentis facilè depræ-  
henditur. Qua de cauſa, quæ in hac eadem  
mutilatè arrepta, & intricata, mihiq; refu-  
tanda erant, ut notationibus ſuis  
diftinguerem, omninò  
opus fuit.

os(?)oo



EX

## NOTATIONES.

# EX PRIMO CAPITE DISCREPANTIÆ, INTER ECCLESIAS AVGVSTANAB ET VVALDENSICAE CONFESSIO nis, nempe ex loco de Perso na CHRISTI, Notationes.

**P**PRIMA, Vt Respondentes mei crimina criminibus, & injurias injurijs cumulent, mox ad titulum capituli hujus, de suo adsuunt vocem corporali ubi habent: *Primum igitur caput est, de corporali Humana natura, & corporis CHRISTI, in Ecclesia & sacra Cæna, in his terris præsentia.* Et paulo post eandem locutionem corporalis præsentia, in Apologia Augustanæ Confessionis Articulo X. expressam, & à me repetitam, detorquent ad modum præsentia corporis CHRISTI physicum, quasi eum a construere velim, licet cogantur fateri, me asserere illum plane singularem, & inscrutabilem esse. Sic enim subiiciunt post ea, quæ vel inviti meis quibusdam verbis, de modo præsentia nobis ignoto, præmiserunt. *Rursus tamen urget vehementer & contendit, corpus CHRISTI, & corporaliter quidem, ac corporali præsentia,*

F

tia,

## DE PRIMO CAPITE

ria, ut se asserere profitetur, atq; ita non corpus tantum, sed corporaliter omnino corpus cum in caelis, tum in terris, simul & semel praesens esse, absq; tamen mutatione, expansione & diffusione corporis, & sine violatione naturae humanae, & essentialium eius proprietatum &c. id est, corporaliter, non corporali modo, & non tamen per miraculum. Qui potest capere capiat. Hæc Respondentes VValdensici. Huiusmodi autem peruersam, & turpi calumnia conuinctam, phraseos vsitatae in nostris Ecclesiis interpretationem, iam non multis, vt merebatur, exagito. Vestigijs enim Sacramentorum insistant, qui eadem Sophistica aduersus nos vtuntur, quoties generalitates eorum, de spiritali manducatione, absentis corporis Christi, admittere nolumus, cum tamen ipsi, testante Ecclesiarum Saxoniae Inferioris Confessione, Tropos & Exempla sua vrgendo, non aliud quid agant, quam vt de modo praesentiae disputent. At verò quādo nos nominamus essentialē, realem & corporalē praesentiam, sic eā appellamus ex re ipsa, non vero vt modum definiamus. Hac ratione Cyrillus, iam olim corporalem coniunctionem, seu communicationem carnis Christi, appellare non dubitavit, non propter modum, sed propter nostri cum corpore Christi, seu substantia huius vnionem. Eodem igitur sensu, cum  
nostro

## NOTATIONES.

nostro tempore Sacramentarij, de spirituali  
præsentia contenderent, & non solum sensibili  
& carnali, sed & Christi vero & substantiali  
corpori, eam opponerent, idq̄ in his terris  
pani sacrae Coenae præsens adesse negarent, phra-  
ses illæ veterum, in Apologia Confessionis,  
& alijs scriptis, in vsum reuocatae sunt, vt non  
tantum secundum virtutem & efficaciam, sed  
etiam secundum substantiam, corpus Christi  
in coena, quæ celebratur in his terris adesse, &  
nobis non solum spiritualiter per fidem, ve-  
rum etiam corporaliter, hoc est, ipsam sub-  
stantiam corporis, in S. Coena communicari  
ostenderetur. Hæc cum plana sint & perspi-  
cua, nihil nos mouent V Valdensicæ calumniæ  
qua corporale aut corporaliter, contra mentem  
nostram sophisticè detorquent, quodq̄ his  
Ironiis vocibus id exagitant: Qui potest  
capere capiat. Ingenia enim saniora, & in  
quibus est aliquid candoris, nihil hic perplexi-  
tatis & incommodi subesse intelligunt.

II. Alia calumnia mox ab initio in-  
feritur à Respondentibus his verbis: *Hic verò  
magis inuoluitur Hedericus, quam vt certis  
rationibus, aut argumentis firmis quicquam  
demonstret; nec mirum cum talia nulla ei sup-  
petant.* Sed quod hoc manifesto sit falsum, de-  
prehendent omnes, qui cū his collationem pri-  
oris mei scripti instituēt, utpote in quo certas o-

## DE PRIMO CAPITE

inninò rationes, & firma argumenta eius de qua hic agitur personalis præsentia Christi, in Ecclesia & electis recensui. Huiusmodi est illud, quod sumitur ex sacrae Scripturae testimonijs, quibus ipse CHRISTVS se præsentem fore promisit Matth. 18. v. 20. & cap. 28. v. ult. Et Ioh. 14. v. 18. Item Apoc. 1. v. 1. c. 3. Quod enim huiusmodi testimonia non nudè & simpliciter, de præsentia CHRISTI, secundum Divinam tantum naturam, & quo ad virtutem & efficaciam (quam Antagonistæ mei solummodo agnoscunt) accipienda sint, testantur ea, quæ ipse CHRISTVS Iohan. 6. de manducatione carnis suæ, & bibitione sanguinis sui concionatur, & promittit se hac ratione, in credentibus fore & manere, rursùmque credentes in ipso. Quo sensu orthodoxos Patres hæc quoque accepisse, nuper ostensum est. Deinde aliud non minus evidens argumentum proposui ex eo, quod adsit Ecclesiae ut Rex, Sacerdos, Immanuel, patronus, protector, ratione officij, quod administrat secundum utramque suam divinam & humanam naturam. Cum igitur ad eadem officia jure referatur, adesse militanti in his terris Ecclesiae, qua fide ei non secundum utramque naturam illud competere dicitur? Alia ratio à me postea attingitur, quod CHRISTVS Ecclesiae suæ, secundum eam quoque naturam præsens adsit, qua proxime nobis ut frater noster coniunctus

ctus

## NOTATIONES.

ctus est, idēq; uberioris consolationis causa, cum alioqui ratione Divinitatis, sit peccatoribus tanquam ignis, consumens stipulas. Nihil nunc addo, de expositionibus recentiorum, ut Lutheri, Melanchtonis, Pomerani, Buceri, quos in eandem sententiam, de personali præsentia CHRISTI, secundum utramq; naturam, in Ecclesia & Regno suo docuisse, Confessio Ecclesiarum Saxoniae Inferioris, de Cæna Domini, & de persona CHRISTI ostendit.

III. Respondentes mei, alias duas eiusdem præsentiae rationes, in meo libello posuitas, sed non sine cavillatione exprimunt. Sic enim scribunt: *Cum non reperiret, quomodo corporalitatem istam suam probare posset, caput de Cæna Domini assumpsit, non rectè ille quidem, cum hoc caput à priore sit diversum. Etsi verò & ego non ignoro, capita illa esse distincta, & idèò peculiarem locum Cænae Dominicæ, in sequentibus assignavi, tamen præter alios orthodoxos eadem Confessio, quam modo citavi, contra cavillantes edocet, ex præsentia veri corporis & sanguinis CHRISTI, in S. Cæna, rectè alteram illam in Ecclesia comprobari. Addunt: Vt tamen aliquid saltem rationum & argumentorum, quæliacunq; tandem illa sint, habere ostendat, offert aliquid de diversa Christi & Spiritus præsentia.*

## DE PRIMO CAPITE

Quæ sane ratio, inter primas à me inserta fuit, qua monstravi, præcavendum esse, ne præsentiam CHRISTI in Ecclesia, solummodo spiritualem & efficaciam cum Antagonistis asserendo, cum præsentia & efficacia S. Spiritus, eam temerè confundamus. Ex his igitur judicari poterit, num verum sit, quod oppugnatores mei præmiserunt, mihi certas rationes, & firma argumenta, in hoc capite non suppetere.

IV. Respondentes hîc, ut & alibi in Confessionibus suis (è quibus verba formalia in priore scripto citavi) præsentiam CHRISTI in Ecclesia, & S. Coena personalem, quam nos secundum utramq; eius naturam asserimus, pergunt confundere, cum Spiritus sancti præsentia & efficacia, sicut etiam in Apologia sua, sub peculiari Titulo tractant, *De Spiritu sancto, in locum CHRISTI subrogato, deq; officio eius &c.* Quod falsum dogma, multis Patrum dictis, quæ hic subiungunt, vel probare vel palliare conantur. Sed constat Patres, in his de visibili quidem & carnali absentia, non verò de invisibili & personali CHRISTI in Regno suo, secundum utramq; naturam, & corporali in Sacra Coena præsentia differuisse. Idem est iudicium de verbis tertij Articuli Augustanæ Confessionis, quibus Antagonistæ, ad probandam opinionem

nem



## NOTATIONES.

nem suam erroneam, fœdè hic abutuntur. Nam etsi CHRISTVS ascendit ad cœlos, ut sedeat ad dexteram Patris, & perpetuò regat ac dominetur omnibus creaturis, sanctificet credentes in ipsum, misso in corda eorum Spiritu sancto: id tamen minimè, eo dictum est sensu, sicut ex ipsorum portentoso errore sequitur, quod ijs in locis non adsit CHRISTVS, ubi sit Spiritus sanctus, & quod hic in ipsius locum surrogetur, & successoris munere fungatur, ut inter mortales fieri consuevit &c. Hinc non mihi, sed sibi accommodant illud, quod suæ Responsioni, ab initio capituli huius inserunt: *Dato uno inconuenienti sequi infinita.* Nihil nunc addo de alio errore ipsorum hic concurrente, quod sicut CHRISTVM, non secundum utramq; naturam, Ecclesiæ & electis præsentem esse sentiunt, ita ipsos quoq; statuere, eum tantum secundum Diuinam, & non simul secundum humanam naturam, una λατρεία in terris colendum & invocandum esse. De quo etiam verba ipsorum, in priore scripto, cum cæteris recensui.

V. Dictis Patrum tandem etiam ex sacris literis quædam subiiciunt, ut sunt hæc: *Me non semper habebitis. Item, Expedi vobis ut ego abeam. Et, Relinquo mundum, & proficiscor ad Patrem. Et Epistol. ad Hebr.*

F 4

Si esset

## DE PRIMO CAPITE

*Si esset in terra, ne Sacerdos quidem esset &c.*  
Quæ sanè singula, ab Ecclesiis Augustanæ Confessioni addictis, de visibili, terrena & circumscriptiva CHRISTI præsentia accipiuntur. Et tamen inde, sive à termino accidentaliter, ad substantialem, falso Respondentes mei ratiocinantur, CHRISTVM quia invisibiliter, sensibiliter & carnaliter non adsit, ideò nequaquam, ut loquuntur, hic in terris eum adesse. Nondum enim his dictis tollitur, invisibilis & personalis CHRISTI, & quidem secundum utramque naturam in Ecclesia & electis, & in Coena sacra corporalis, hoc est, qua vero suo corpore adest, præsentia, quam sicut ipse certo verbo expressit & promisit, ita etiam certo ac verè eam præstare potest, atque præstat.

VI. Magna verborum virulentia, & contumelijs Fratrum nomine, lenitatem alias suam maximoperè jactantium, indignissimis exagitant illud, quod ex ratiocinatione eorum præmissa consequi, à me ostensum est, CHRISTVM, videlicet, postquam corpore suo in cælum ascenderit, ibidem loco circumscriptum, ceu reposito quodam, aut cavea custodiri & detineri, ut alibi esse non possit. Idem colligitur ex contextu verborum, in quo hæc tractant, sicut etiam ex dicto Augustini, quod in Confessionibus suis, & in Respon-

spon

## NOTATIONES.

Ipſonſione hac ſua, non ſine multis falſi crimini-  
bus citant & vrgent, quod videlicet donec ſe-  
culum finiatur, iurſum ſit Dominus, & quod  
corpus Domini, in quo reſurrexit, vno in loco  
eſſe O P O R T E A T, pro quo apud Augu-  
ſtinum habetur: poteſt &c. Sic nobilis quidã  
Polonicus in Apologia, in cauſſa ipſorum edi-  
ta, ſcribit: Iuxta Symbolum fidei, & totam  
ſcripturam credimus, Corpus Chriſti vere vno  
loco, in cœlo eſſe incluſum aut compræhen-  
ſum &c. Nec ego primus ſcripſi hæc ita con-  
ſequi, ſed expoſitiones præcipuorum in Eccle-  
ſiis noſtris Doctorum (quorum honeſtum titu-  
lum hic ſimul exagitant) & potiſſimum D.  
Lutheri ſecutus ſum, qui non ſolum in Pole-  
micis, ſed & didacticis ſcriptis, vtpote ſuper  
caput 17. Iohan. ſic poſt alia, vt de Germa-  
nico conuerſa ſunt, diſſerit: De eo quod Chri-  
ſtus non amplius ſit in mundo, duobus modis  
ſolent loqui: Vno fanatico, quo ita aſcenderit,  
& ſupra in cœlo ſedeat, vt in cauea vel nido  
hirundinum, Sic geſticulantur cogitationibus,  
ſecundum oculos & viſum, qui tantum ad  
vnum locum dirigitur, & non ſimul in cœlũ  
& terram proſpicere poteſt, quaſi ipſum oportet  
carcere aut circulo incluſum eſſe, vt in-  
terea alibi eſſe non poſſit &c. Similis expoſi-  
tio habetur in Confefſione Eccleſiarum inferi-  
oris Saxonix, de dicto Actorum 3. An Chri-  
ſtus cœlum vt Dominus acceperit, vel cœlum  
coeperit

## DE PRIMO CAPITE

coeperit Christum? Sic enim inter alia habet: Theologi nouitij planum faciunt, in sua Grammatica disputatione, haud secus & eodē modo quo Beza, quod caelo capi accipiant pro contineri, hoc est, Christum caelo comprehensum, contentum & inclusum esse, sicut sanguis est in venis, vel aqua in canalibus &c. Ex his satis planum est, Respondentes vel potius Conuiciatores meos, idem cum fanaticis lenitentes & propugnantes, non solum me flagellare, sed & D. Lutherum, atq; Ecclesias celeberrimas Augustanae Confessionis, quae cū duabus Academicis Saxonicae Confessionis subscriplerunt. Hæ igitur quomodo adeo petulantibus criminationibus occurrendum sit, deinceps videbunt. Nam iure in ipsos Respondentes hæ contumeliosæ voces retorquentur, quod maliciosissime, impudentissime &, vt blasphemi Christo, Dei viuentis & Mariæ virginis Filio, ad dexteram Maiestatis in excelsis, velint detrahere laudem immotæ veritatis, & infinitæ potentiae, in præstandis his, quæ fidelium Ecclesiae, verbis disertis, & Testamenti quoq; sui loco, promisit & legavit.

VII. Inserunt hic nonnulla, quæ afferri solent, ad destruendum dogma Vbiquitarium, de quo cur noluerim in priore scripto cum ipsis contendere, & quod propterea non sine crasso mendacio, à me illud resuscitatum esse

## NOTATIONES.

esse scribant, antea de Procemio Notatione  
XVI. dictum est. Addunt autem hic **CHRIS-  
TVM** quaecunq; & sic etiam vivificationis,  
salvationis & reliquas Sacerdotales & Regij  
officij partes, Divinitate sua exequi. Qua ra-  
tione Humana natura inseparabiliter, quod con-  
guntur fateri, unita nihil cooperabitur, sed in-  
terim erit ociosa. Quo sensu etiam accipiunt  
dictum Athanasij, quod placuerit ei per ipsam,  
in ipsa & cum ipsa potentiam suam exercere,  
ut cum habent: *Et sic etiam verba Athanasij  
accipimus, quae adducit Hedericus: Quidquid  
operatur sive efficit CHRISTVS, efficere haec  
non alium, quàm eum, qui & DEVS & homo est.*  
Ergò simpliciter in concreto **CHRISTVM**  
ratione Divinitatis, omnia operari contem-  
dunt, nec volunt in officio Regio, Sacerdotali,  
& dominio rerum omnium, eandem Divi-  
nitatem, communicatione Operationum, in  
cum & per Humanam naturam, ut insepara-  
bile, personale, proprium & divinum orga-  
num, omnia efficere.

VIII. De exemplo aliorum fanatis-  
corum, argumentum ab omnipotentia Christi  
petitum, quod non meum solummodo, sed D.  
Lutheri, & omnium Ecclesiarum Augustanae  
Confessionis est, infringere, sed frustra conan-  
tur, *Et si autem & nos dicimus, de omnipo-*  
tencia

## DE PRIMO CAPITE

rentia DEI non quærendum, ubi nulla sit voluntatis certitudo, & ex verbo de omnipotentia eius statuendum esse: tamen Respondentes callidè & veteratoriè, unam tantummodo verbi particulam, arripiunt & urgent, alteram verò omittunt, aut falso interpretantur. Quamobrem CHRISTVS quidem, quod ipsi hîc citant, pronunciauit, verbo suo, velle se abire: ac proinde ita fecit, abiit in cœlum, eo intulit corpus suum, quod condemnatum antea fuit, & morte crucis ignominiosissima affectum, ibi fruitur gloria &c. At verò idem CHRISTVS & hæc pronunciauit: Vbi cunq; duo aut tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Item, Ecce ego vobiscum sum, omnibus diebus usq; ad consummationem seculi. Et Ioh. 6. eandem inhabitationem & mansionem suam in nobis promittens, expressè etiam carnem suam & sanguinem suum nominat. Vnde orthodoxi Patres statuunt CHRISTVM, non tantum ut Spiritum, sed etiam ut carnem & sanguinem, in nobis manere, ut Apologia Augustinæ Confessionis ostendit. Idem de verbis institutionis Cœnæ sacræ certò constat, quod in illa, verum & substantiale corpus & sanguis eius adsint, ac distribuantur. Cum igitur voluntatis CHRISTI certitudo, abundè ex his constet, qua pietate & fide, omnipotentia eius in dubium vocari potest? Cum autem

## NOTATIONES.

naturæ ipsius proprietatem, hic simul oppo-  
nant, & verba cuiusdam inserant, quem nomi-  
nare verentur, ego potius celebriorum Augu-  
stianæ & Saxonice Cōfessionis Ecclesiarū ver-  
ba, de Germanico conversa subiicio, quæ post  
multa alia sic habent, sub Titulo: Quod totus  
Christus non solum secundum Divinam, sed  
etiam secundum Humanam naturam suam in  
Ecclesia sua præsens adsit: Nos credimus, cum  
ille qui promisit verax & omnipotens sit,  
quod etiam infra nobiscum hic in terris, in sua  
Coena & Ecclesia substantiali corpore suo verè  
præsens adsit, non quidem secundum, vel per  
naturalem proprietatem, & conditionem hu-  
mani corporis, sed secundum & per superna-  
turalem, coelestem, inscrutabilem & inenarra-  
bilem virtutem, potentiam & gloriam, quam  
Humana in CHRISTO natura, ex perso-  
nali unione, cum Divinitate accepit. Credi-  
mus etiam, quod infinita eius Sapientia, opti-  
mè modum & viam noverit & habeat, qua  
hoc fit, & fieri possit, salva veritate humanæ  
naturæ, salvis etiam essentialibus eius proprie-  
tatibus, cum utrumq; sit DEI verbum, &  
nusquam scriptum sit, quod hoc DEO sit im-  
possibile, Nisi velimus dicere, quod Hominis  
CHRISTI potentia, omnia sint subjecta,  
exceptis locis & spatijs, quibus arrhesio ob-  
stringatur & detineatur, etiamsi corpore suo  
se præ-

se præ-

## DE PRIMO CAPITE

se præsentem fore ibi, vt in Cœna, expresse verbo suo promiserit.

IX. Respondentes licet oppugnent personalem CHRISTI præsentiam, ac corporalem in S. Cœna, nihilominus *Videri nolunt, se spoliare Ecclesiam præsentia Christi, se hanc ei eripere, aut uberrimæ consolationis fontem, è medio tollere, aut iudicium humanum, & carnalem rationem sequendo, à verbo DEI recedere, sed manifestis clarisq; sacrae Scripturae testimonijs adherere, & his maximè niti.* At verò frustrà Respondentes negare, quod ipsis obiecti, ex eo constat, quod CHRISTI Divinitatem, solummodo præsentem statuentes, humanam eius naturam segregant à fidelibus, ratione cuius nobis quam proximè, ut Frater noster devinctus est, & quæ est quasi medium communionis nostræ, cum Divina natura. Item, Per eam naturam, quæ nobis cognata & consubstantialis est, patet nobis aditus, ad conjunctionem Divinæ naturæ in CHRISTO, & per CHRISTVM, ad communionem cum tota Trinitate. Nam ut ex genere humano Ecclesia, DEO adduceretur & uniretur, DEVS homo factus est. Cum etiam Divina natura peccatoribus sit tanquam ignis, consumens stipulas, necesse est ut nos sustentemus & consolemur, quod CHRISTVM præsentem, & in nobis habitantem habeamus,

mus,



## NOTATIONES.

mus, secundum eam naturam, qua sumus caro de carne eius, & qua omnis generis tentationes & passiones sustinuit, nobiscum in varijs huius vitæ angustijs condolere possit. Quæ singula Humanæ eius naturæ, non verò Divinæ competere in confesso est, & Epistola ad Hæbræos cap. 2. vers. 17. & cap. 4. vers. 15. testatur. Hic iterum me non solum, sed & celebriores Ecclesias, Augustanæ Confessionis addictas, idem sentire & statuere multis probare possem, nisi brevitatis rationem haberem.

X. Dictis Scripturæ, quibus se adhærere, ipsæ maximè niti hic profitentur, falsum assignunt sensum. Nam præter id, quod in Confessionibus suis, antiquioribus & recentioribus, verba Christi: Ecce ego vobiscum sum cunctis diebus &c. de sola præsentia Divinitatis Christi, per Spiritum sanctum, interpretantur, quædam Agostoli dicta, parcius quidem attingunt, sed ad hoc caput accommodando, perperam accipiunt. Nam *Quod ille jubet ea quæ sursum sunt quærere*, non tam propriè res phycas & locales, certo adstrictas loco, quam cælestes aut spirituales cultus & virtutes, ad regnum Christi pertinentes, sectandas aut quærendas esse edocet. Sic quo ad alterum dictum, id quidem est certum, *Quod peregrinamur à Domino, dum per fidem incedimus,*  
& non

## DE PRIMO CAPITE

*& non per aspectum ut ibidem Apostolus loquitur, sed interim hæc peregrinatio, non intert eiusmodi absentiam, qua præsentia & arctissima unio, & coniunctio nostri cum Christo, secundum utramque naturam tollatur. Nam hic solummodo indicatur perfectio, que in hac vita nos comitatur, & propria fidei est, ex parte hic cognoscentis, donec perfectione veniente, ille per speculum intuitus, aperta auroscia perficiatur. Unio igitur nostri cum Christo, non solum tunc absoluta, & ideo longe arctissima erit, sed etiam visibili præsentia qua in hac vita caremus, cumulabitur. Peregrinationem itaque gradui modoque spiritali, præsentia Christi, de qua sermo est, tribuimus, & non præsentia simpliciter, ut nimirum quantum à perfectione, in hac vita absumus, tantum à Domino peregre abesse dicamur.*

XI. Postremo non opus esse puto, ut pluribus id probem, quod hic Respondentes adsuñt, quo capite Augustanæ Cōfessionis vel Apologiae eius, de præsentia Christi, secundum utramque naturam in Ecclesia, & veri corporis in S. Coena (quam non sine malicia ubiquitatis vocabulo odioso notant) doceatur, quia diserte in Apologia Articuli decimi, de præsentia carnis Christi in fidelibus, & corporali in S. Coena, sicut & Articulo XXI. de Invocatione Mediatoris, secundum utramque naturam

curam

## NOTATIONES.

turam, doctrina proponitur, & omnes Ecclesiae huic Confessione addictae, magno consensu, in declarationibus & repetitionibus publicis, eiusdem Confessionis, idem mecum statuunt. Vnde falso haecenus Fratres Bohemos ad eas prouocare, & temerè hostilis cuiusdam dissensionis me cum illis insimulare, manifestius est, quam ut longiori opus sit probatione. Nam licet quidam ex nostris hoc tempore, Ubiquitatem quandam carnis Christi extra Ecclesiam, & quidem κατ' ὁσίαν, aut secundum substantiam, susceperint defendendam, tamen quando in societate eiusdem Confessionis, in omnibus Articulis nobiscum persistunt, & nos constantes eius assertores agnoscunt, nemo dissensionis adeò odiosae, qualem nobis hi segregati Antagonistae aut alij obijciunt, insimulare potest. Cum domesticis enim fidei, quantum vnquam salua veritate fieri potest, pacis & charitatis in verbo Dei praescriptae, merito ac summa voluntate rationem habemus. Quin etiam de plerisque Collectoribus recentioris formae Concordiae (ex qua hodie non pauci Ubiquitatem generalem asseruere & probare conantur) testimonia apertissima proferri possunt, ab ipsis generalem Ubiquitatem corporis CHRISTI, eadem forma non fuisse receptam, sed monuisse, ut acquiescamus in illis, de quibus expressa verba Scripturae habemus. Vnde & hoc addiderunt, posse nos

G

pra-

## DE SECUNDO CAPITE

præsentiam corporis CHRISTI in S. Coena nihilominus tueri ac retinere, quæ proprie loquendo non innitatur unioni hypostaticæ, indissolubili fessione ad dextram, & impletioni omnium, sed verbis institutionis CHRISTI,  
&c.

## EX SECUNDO CAPITE DISCREPANTIÆ, Nempe ex loco de Ecclesia. NOTATIONES.

**P**RIMA, De hoc capite Antagonistis meis, maximè respondendum erat, ad Statum causæ, Cum videlicet alias ejusmodi, ( ut ex superioribus etiam constat ) Ecclesiam describant, in qua tam Ministri quam Auditores, nullis sint contaminati erroribus & peccatis, quales non alibi, quam in sua separata unitate reperiri adserunt, Num Ecclesias etiam nostras, quæ Augustanæ Confessioni addictæ sunt, & quas ipsi orthodoxas, in publica Præfatione sua nominant, quasq; ex certissimis notis, in priore meo scripto, mox ab initio capitis hujus, tales esse demonstraveram, ut hætenus ita & deinceps, post graviores admonitiones, velint reputare indignas, quibus

## NOTATIONES.

quibus apertè se adjungant aut subscribant? Et, Num Ministros, cum populo illarum pergant accensere ijs, qui foris sint, & qui sibi de salute æterna, vix aliquid certi polliceri possint? At verò ipsi hunc Statum callidè dissimulant, & nihilo mitiores & humaniores, sed vel duriores se præbent. Arripiunt ergò quasdam particulas Examinationis, & vel ea quæ notiora, & manifesta sunt omnibus pernegant, vel quæ iniquius adhuc ab ipsis dicuntur & geruntur, suo quodam colore & fuce pingunt, vel injurias injurijs cumulare pergunt.

II. Pernegant igitur, *Quod conciones ad populum habere soleant, in ijs etiam locis, ubi iam ante Pastores alij sunt constituti &c.* Hæc contra manifestam veritatem eos scribere, innumeris propè testibus probari potest, in ijs & vicinis, ubi vivunt locis. Idem D. Selneccerus, & Iohannes Lætus, plenè testantur, in luculentis Præfationibus, Germanicæ versionis libelli mei præfixis, & non sine collatione & approbatione multorum, qui inde à teneris, inter Bohæmos educati sunt & vixerunt, & rectè singula habuerunt perspecta, conscriptis. Hoc idem pluribus cognoscere licet, ex Tractatu de Decimis, & stipendijs Ministrorum, qui approbantibus aliquot Bohæmicis Pastoribus, est consignatus. Præterea idem testatus est inter eos D. Auerbeccius, qui peculiari

G 2

scripto

## DE SECUNDO CAPITE

scripto plurimis, ijsq̄ grauissimis rationibus  
demonstrauit, quod multipliciter delinquant,  
vbi in priuatis ædibus aut angulis, ijs in locis,  
in quibus reformatæ sunt Ecclesiæ concionan-  
tur. Hinc æstimare licet, quid fidei tribuen-  
dum sit istis hominibus, qui adeò manifesta  
negant. Quomodo verò Respondentes & id  
probabunt quod addunt, Magistratu permit-  
tente & iubente idem fieri? Nonne ex edictis  
supremi Magistratus in Imperio & Bohæmiæ  
Regno, quorum supra est facta mentio, diver-  
sum constat? Num verò etiam Ecclesias in Po-  
lonia & Prussia reformatas, Magistratus iussu  
superiori tempore inuaserunt? Et ut me con-  
uertam ad Ecclesiam, quæ tunc mihi com-  
mendata fuit, quis Magistratus iussit, aut ves-  
tris excursoribus permisit, ut sæpius clam su-  
beundo domos, conciones easq̄ valde seiui-  
nas, ante hoc tempus haberent, in ædibus &  
moetrina istorum ciuium duorum Iglauien-  
sium, quos postea nominatis? Senatus certè, qui  
Augustanæ Cōfessionis Cōcionatores, idoneos  
ad docendū, certo, licet non ita amplo, ut vos  
nugatores putatis, semper conduxit precio, nec  
iussit, nec permisit, ac si voluisset propter interd-  
ctū superioris Magistratus illud permittere nō  
potuisset. De eo multa non addo, quod insolitū  
per Seniores vestros, ibidem excitatum fuerit,  
quando valetudinem prætendentes, Anno  
1585, circa Natalitia CHRISTI, in ædi-  
bus

## NOTATIONES.

bus privatis clam administrarunt sacra, & effecerunt, ut per Magistratum in hospitem ipsorum animadverteretur. Non jam loquor de ijs locis, in quibus obtinuerunt, ut Domini quidam, tam nostræ quam suæ Religionis exercitium simul permittant, sicut nec de ijs, in quibus detestanda, quarumvis Sectarum monstra, & blasphemæ insuper Iudæi (qui quotidie ter, de præscripto suo Thalmudico, contra Gentem Christianam, & Reges eius imprecationes instituunt) foventur, de quo peccatis alienis communicantes, & perniciosis seductionibus, atq; scandalis locum relinquentes, suas aliquando rationes sunt reddituri. Sed nunc de ijs sermo est locis, in quibus hætenus vos Ministri Fratrum Bohæmicorum, contra voluntatem piorum Pastorum, & politicorum gubernatorum, clam non missi currentes, & non vocati, nostros auditores seducetes, vos passim ingessistis & obstrulistis.

III. Eadem temeritate ipsi negant, *Quod nos in contemptum adducant, aut quemquam ex auditoribus nostris ad se pertrahant.* An verò fieri possit, quin non contemptus lequatur eorum Pastorum, quorum loco se illi obtrudunt, & ea sacra administrant, quæ non nisi ab ijs, qui legitime vocati sunt, in uno certo loco & Ecclesia administranda erant? An non idem quoq; sequitur, ex commemoratione causarum, ob quas omisso schismate suo,

G 3

nobis

## DE SECUNDO CAPITE

nobis se adungere nolint? Sic de illecebris, quibus allicientes ad se auditores, ex Ecclesiis nostris utuntur, proprijs suis verbis convincuntur, quæ supra de prima parte Notatione XVI. sunt inserta. Nam quomodo calumnia novitatis, inconstantia, incertitudinis & levitatis, in negotio fidei & salutis, nos non traducerent, & aliorum ludibrio exponerent?

IV. Simili fide, ad alexipharmacum maleferiatorum se convertunt, ubi licet, non sine crimine falsi, verba mea citantes subiiciunt: *Quod non se ipsos justos & sanctos, damnatis alijs universis, pronuntiare soleant. Eiusdem enim culpa eos convincunt cause, quas non sine supercilio prætendunt, cur se Ecclesiis, secundum Augustanam Confessionem reformatis, adungere nolint, ubi tam de Ministris, quam de populo loquuntur.* Nihil addo de ijs, quæ Hieronymus Igdara Pastor Hradissenus quondam vicinus ipsorum, opusculo suo Anno 1569. de VValdensium societate scripto, prolixè in eam sententiam inseruit. Idem manifestò constat, ex Præfatione libelli ipsorum Catechetici, in Prussia Anno 1555. editi, ubi nulla temporis distinctione addita habetur: *Lutherum, Bucerum & alios in suis libris, de Ecclesiis in Bohæmia professos esse, Quod unicuique iste sit populus in terris sub Sole, qui primitiva*

*mitiva*



## NOTATIONES.

mitiva CHRISTI Ecclesia vestigijs insistat,  
& quod Lutherana, sive Evangelica Ecclesia,  
respectu illius populi, habeant se tanquam So-  
doma & Gomorrha. At verò si quicquam tai-  
le à Luthero vel Bucero est dictum, id respectu  
Papatus, & abominationum sub eo, non verò  
de Ecclesiis nunc repurgatis est enunciatum,  
Sic Querela Ecclesiae ad CHRISTVM, ante  
pauciores annos, de ipsis scripta habet, post  
alia Num. 5. Pijsime Domine, tu prohibuisti  
quenquam temerè judicare: Verum isti Fra-  
tres Seniores tuæ Legis, tuum mandatum vio-  
lant, meq; miseram, non tantum conspuunt &  
contemnunt, sed omninò temerè judicant, cum  
dicant mihi in te partem & salutem nullam es-  
se, nec me posse tuis bonis frui, sed damnatam  
esse. Quare? Quia me totam in eorum castra  
non coniicio, nomen proprium non abiuro,  
& cum eis non ago. &c. Viderint igitur Re-  
spondentes, ne cum extremo suo malo & exi-  
tio, hic negando, ad iustissimum DEI judi-  
cium provocent, & huius sententiam expec-  
tant.

V. Ad idem alexipharmacum frustra  
confugiunt, quod dum admittere coguntur, se  
religionis causa alios sibi peculiariter obligare,  
hoc tamen negant: Quod ita habeant addi-  
ctos sibi & iuratos eos, qui sua dederunt ipsis  
nomina, ut reditus eis nullo pacto ad nos liceat

## DE SECUNDO CAPITE

&c. At verò de eo rursus convincuntur proprijs suis verbis, quæ inferuntur libello, de Obligationibus ab ipsis scripto, qui integrè de Bohæmico in Germanicum sermonem, à pñs Pastoribus conversus, apud me habetur. In eo igitur inter multa alia, admodum obscurè, intricatè & periculosè, contra formam sanorum verborum posita, circa finè repetendo dicunt: *Recipiendos in unitatem ideò obligari, ut suam salutem de fundamento usq; ad finem, ordine faciant &c.* Sic etiam in Agenda ipsorum Bohæmica sub Titulo: De univèrsali salute, in communionè sanctorum, prolixè de eo agitur. Summa autem loci illius est: *Quod omnes qui obædientes ipsorum congregationi se adjungant, & in ea usq; ad finem perseverent, certo salventur, Qui autem hoc non faciat, eum jam esse damnatum.* Similia his habentur in formulis obligationum, quibus de præscripto Fratrum Bohæmicorum, recipiendè in unitatem ipsorum, ditiores quidem paucis privatis, sed tenuiores in publico loco obstringuntur. Huiusmodi enim formulas quasdam, præcipuus ex Moravicis proceribus, Magnificis Dominis Spanoffkijs Senioribus, paulo post editum scriptum meum obtulit, qui ad me eas, cum alio Catalogo errorum VValdècorum miserunt. In his igitur inter alia, recipiendi jubentur promittere fidelitatem, constantiam

## NOTATIONES.

stantiam & perseverantiam in ista societate, usq; ad mortem, quicquid tandem discriminis honorū, bonorum vel vitæ sustinendū sit &c. Idem ipso facto testati sunt, cives Iglavienses, ipsis addicti, qui nec mitioribus, nec durioribus verbis, vel per me, vel per alios quoscumque adduci potuerunt, ut à publico desertionis scandalo desisterent, sed obstinate in eo, ad mortem usq; perseverarunt, & ideò haud abs re, de sententiā meorum in isto loco successorum, funera eorum per aliquot milliaria, sepulturæ causa, ad societatem VValdensicam sunt transecta.

V I. Nunc ergo quædam de illis commemorant, & initio nominant quendam, ex meis in Ecclesia istius loci antecessoribus, licet non proximus fuerit, & hujus se elogio ornatos esse, pro concione publica scribunt. Non autem de eo nunc disputo, num verè hæc ita se habeant, quæ Respondentes ex relatione aliorum, ad hunc modum consignarunt, licet ex alijs, qui tunc auditores Concionatoris illius fuerint, tale quid cognoscere non potuerim. Sic etiam cum dona eadem non omnibus sint concessa, disputare nolo, num eius iudicij, aut ea rerum Theologicarum peritia præditus fuerit, ut de gravioribus religionis controversiis, solidè quicquam statuere posset. Sed esto quod horum aliquid ille, siue persuasionibus

## DE SECUNDO CAPITE

bus susurrorum, sive opinione melioris ipsorum erga nos affectionis adductus pronuncia-  
verit, num mirum id videri potest, cum longè  
doctioribus & præstantioribus viris id accide-  
rit, ut VValdensicos aut Bohæmicos Fratres  
commendarent, cum non rectius de dogma-  
tibus, & constitutionibus eorum informati es-  
sent, & optima quæcûq; sed falso, de ipsis sibi  
erga nos & Ecclesias nostras pollicerentur, ut  
suo loco ostensum est. Idem Concionator  
non multo tempore, sed vix ad triennium mu-  
nere docendi ( cui ego ad duodecimum usq;  
annum præfui ) in Ecclesia illa functus fuit, ut  
propterea etiam singula exactius cognoscere  
non potuerit. Non igitur iure ad eius testi-  
monium, quod saltem ex rumusculis perceper-  
unt, provocare possunt, & dignum esset id  
graviore repræhensione, si scandalum delertio-  
nis in Ecclesia ista probare, eiq; fenestram aper-  
rire voluisset, ubi potius omni conatu id præ-  
cavere debuisset. Ratio etiam habenda fue-  
rat ipsi, maximi eius beneficij, quo hætenus  
Ecclesia Iglaviensis, quo ad Augustanam, non  
verò Fratrum Bohæmicorum Confessionem  
& Religionem, permisso superioris Magistrat-  
us fruitur.

VII Falso mihi imputant illud,  
Quod conatus sim, per vim ab hominibus ob-  
tinere, etiam invitis, ut mihi obedientiam præ-  
starent.

## NOTATIONES.

starent, & hoc modo fidei dominari ausus fuerim, contra doctrinam Apostolicam. Non enim ego aliud volui unquam, docendo, arguendo, corrigendo ac informando auditores meos, quam quod de testimonijs S. Scripturæ à Ministris, & non à Dominis fidei requiritur, ut quod Apostolus 1. Timoth. 5. v. 20. præcipit: Qui peccant (in notorijs nimirum & enormibus, qualis est hæc desertio publica) coram omnibus argue, ut & cæteri timeant. Sic in priore scripto citavi eiusdem Apostoli præceptum 1. Cor. 1. v. 10. Idem dicatis omnes, nec sint inter nos schismata, & sitis coagmentati, eadem mente, & eadem sententia. Item, quod Epistola ad Hebræos cap. 10. v. 25. congregationem, cui quisq; adjunctus est, deserere prohibet. Quibus sanè dictis, cum manifesto impia desertio, de qua sermo est, prohibeatur, surdis auribus Respondentes illa, sicut & multa alia præterierunt. Quod verò ad obedientiam attinet, non aliam requirimus, quam qualem eadem Epistola præcipit præstari, erga legitimos & ordinarios, non verò alienos & segregatos Pastores, & quidem in his, quæ sunt Ministerij. Id quod constat ex cap. 13. v. 17. Obedite præpositis vestris, & subiacete eis (ut vetus translatio habet) Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non

non

## DE SECUNDO CAPITE

non gementes, hoc enim non expedit vobis. Contra de V Valdensicis Senioribus, hoc demonstratur ex ijs, quæ nuper præmissa sunt, quod dominantur fidei suorum mancipiorum, quando eos peculiariter ad ordinem, ad obedientiam, ad obligationem & perseverantiam, in Vnitate sua, ut loquuntur, usq; ad mortem, & quidem stipulata manu, iuramenti loco, re motis conditionibus, & periculis quibuscunq; obstringunt.

VIII. Cum cœtera à me ipsis obiecta de hoc capite, contra manifestam veritatem negaverint, nunc fateri coguntur, duos fuisse Cives quos ab Ecclesia meâ fidei commissa, istis annis abalienarunt, & eo quo ostensum est iuramento, in sociatatem suam receperunt, quos etiam ad mortem usq; in eadē detinuerunt. Non autem faciunt mentionem, uxorum & liberorum, ut quod unius Filium, cuius postea meminere, & alterius uxorem eodem modo sibi obligatos habuerunt. Nihil addo de eo, quod unius ex istis uxorem & filiam, suis tam sollicitationibus, quam pollicitationibus, à nostra Ecclesia abalienare, & ad se pertrahere conati sunt. Præterea nihil addo de Fratribus eiusdem, aut de alijs civibus, cum quibus idem tentatum fuit, quorum tamen pleriq; de melioribus admoniti, & ex meo libello rectius edocti, hos tandem seductores reliquerunt. Qua

## NOTATIONES.

Qua igitur fide & patientia, potui aut debui istos desertores ferre, contra præceptum Spiritus sancti, quo quisque congregationem, cui adiunctus est deserere, & schismati neutiquam necessario locum relinquere prohibetur? Quomodo etiam ferrem, ut pessimo horum exemplo, diutius alij, ad simile desertionis facinus, me convivente, & hoc pacto alienis peccatis communicante, provocarentur?

IX. Verba libelli mei, mala, ut solent, fide citantes, hic de suo adsuunt, *Quasi velim omnibus promiscue, nulla precedente institutione & exploratione* (quod tamen Apologia Augustanæ Confessionis etiã præcipit) *administrare Sacramenta.* Deinde simili falsitate, omittunt hæc mea verba: *Fraterculos petribus nostris, ut & alijs Sacramenti communionem denegare, si cum ipsis habitent, aut forte hospites in iisdem locis lethaliter decubant.* Quæ particulæ posteriores perspicue ostendunt, me non Antilogias admittere, sed loqui de certis casibus, & de ijs locis, in quibus falsa & idolatrica doctrina proponitur, aut ubi nostri peregrinantes, legitimis suis, ijsque orthodoxis pastoribus carent. De his igitur subijcio, quod talibus Sacramenta, aut alia cum hoc officio coniuncta, non præstent, nisi peculiari ritu prius in eorum locietatem adsciti, vel ut  
ipsi

## DE SECUNDO CAPITE

ipsi loquuntur, eis uniti fuerint, aut se cum illis uniri velle, adhibitis testibus polliceantur. De quo lanè, præter exempla, quæ recenseri possent, suis etiam verbis, aut propria Confessione convincuntur, quæ in Apologia pag. 94. sic habet: *Secundo tenemus, quod Sacramentum hoc non debet administrari, nisi solis participibus CHRISTI per fidem illius, hoc est, veris Christianis, Fratribus, Sororibusq; CHRISTI. Esse quoq; eos, qui Evangelium audiverunt, susceperunt, respueruntq; ad illius prædicationem. Posthac serio fœdus cum DEO in Baptismo susceptum, per manuum impositionem renovarunt &c.*

X. *Inserunt hic ἀπεσοδύονσα, & prolixè se ipsos (quod tamen in me, sed falso carpunt) & suam diligentiam atq; attentionè, in administrandis sacris laudant & extollunt. Quali verò ipsi soli, & non etiã Ministri Ecclesiarũ nostrarũ fideles, in his vigilare, & officium suum pie leduloq; facere soleant. His verò nondum ab errore Donatistarum, qui eis obijciebatur, absolvuntur. Sic etiam se nondum inde expediunt his verbis: Nequaquam omnia nostris cœtibus & congregationibus, vel ullis ritibus externis, ita ascribimus, ut hæc pro*



## NOTATIONES.

*pro fundamento habeamus.* Contrarium enim verba ipsorum formalia, quæ jam ex Apologia ipsorum præmissa sunt testantur, in quibus disertè ponunt exclusivam, & sacram Cœnā contendunt administrandam esse, solis participibus CHRISTI per fidem illius, quales sint Fratres & Sorores CHRISTI, quod hi veri Christiani, in ipsorum cœtu saltem reperiantur. Nam de his solis etiam accipi illud volunt: *Quod posthac* (in grandiore nimirum ætate, & ubi rationis capaces facti sint) *foedus cum DEO in Baptismo susceptum per manuum impositionem renovarint.* Qua sanè renovatione foederis, semel cum DEO in Baptismo initi, (quod minimè interrumpendum est, sed per omnem durat vitam) ad delirium Anabaptisticum, de re baptismatione, admodum prope accedunt, nisi quod non simul, elementum aquæ rursum adhibent. Ex his igitur verbis, quæ literis ab illis consignata, & publicè Confessionis loco prolata sunt, longe certius iudicium fieri potest, quam si audiamus eos, quorum hic meminerunt, quod hæc melius illis quam mihi sint cognita.

XI. Cum Respondentes nihil habeant, quod iure aliquo iniquioribus, molitionibus suis, erga Ecclesias nostras repurgatas, præterdere queant, ad personalia delabuntur, & post *alios me & meos* (per quos cæteros Augustanas

stanae

## DE SECUNDO CAPITE

stanzæ Confessioni addictos, ut intelligant necesse est) magna verborum vehemētia, Fratrum ordinē parum decēte, ferocissimē adoriuntur. Iudicabunt autem sani omnes, num ipsorum vel nostræ Ecclesiæ, maiori commiseratione sint dignæ, cum nos minimē turbarum istarum, sed ipsi sint autores (quod re ita postulante haud semel repetere cogor) nec nos ipsos hostiliter, sed ipsi nos jam pridem invadant, traducendo, calumniando, auditores nostros ad se alliciendo, & sibi obstringendo, adeoq̄ ipso facto palam nos & Ecclesias nostras damnando. Quid verò mihi etiā rei, cum conventibus ipsorum, (licet in locis ubi habebantur, aliquando fuerim) & administratione verbi & Sacramentorum, sicut ab ipsis maxima ex parte Bohæmis, & vix lectitare scientibus peraguntur? An astarem inter eos, administrationi Cœnæ, de qua non tantum verbis referunt alij, sed & scripto testantur illi, qui ipsis addicti fuerant, quod inanes adhibeant Ceremonias, & per vices canendo, orando, hortando &c. multum consumant temporis, & tamen veri intellectus verborum Cœnæ, & legitimi usus, vix mentionem faciant, sed externa inani pompa homines, magis à DEO deorsum trahant, quam sursum tollant? Quomodo item cum Ministris eorum sermones conferrem, cum pleriq̄ non possint, & alij recusent

cusent

## NOTATIONES.

eulent nobiscum conferre? Denicq; quomodo  
 quæ dicant & faciant, placidè ab ipsis cogno-  
 scerem, qui Spiritum lenitatis, ore quidem ja-  
 ctant, sed facto ipso penitus diversum præstant?  
 Id quod abundè testatum faciunt, criminatio-  
 num virulentia, qua ex nimia animi impoten-  
 tia rursus hoc in loco aduersus me vtuntur. Ne-  
 quaquam igitur prodij contra ipsos audacissia  
 me, sed iniurias ipsorum, erga Ecclesias no-  
 stras, perstrinxi apertissime, nec adhuc pro  
 hæreticis eos proclamavi impudentissime, sed  
 vt suo ipsius iudicio sint tales, cum aliter no-  
 lint, per me licet facillime, præsertim cum iam  
 olim ipsi scripserint: Non errorem in mente,  
 sed voluntatis pertinaciam hæreticum efficere.  
 Magnificus etiam D. Spanoffkius P. M. in  
 Epistola sua ad me hortatoria, ad quã respiciunt,  
*Nō eos simpliciter cane peius & angue vitādos,*  
*impediendos, extirpādos, clamitauit aut scripsit,*  
 sed hæc eius sunt verba: *Omnino occasione*  
*pluribus erit (scriptum tuum) ne ita temere*  
*& facile quibusuis assentiantur, sed dijudica-*  
*re discant, qui & quatenus ex sinceris Mini-*  
*stris probandis & quomodo contra qui falsa*  
*docent, ex Sectarijs cane peius & angue vi-*  
*tandi sint.* Quis autem non intelligit gene-  
 ralia hæc, vt & multa alia, suacq; cum condi-  
 tione prolata esse, nec aliquam de VVal-  
 densibus, crudelissime extirpandis, sententiam  
H
pronun-

## DE SECUNDO CAPITE

pronunciari. Illud tamen addendum erit, quod & ipsi postea pag. 99. ex Apostoli verbis ostendunt, *Non tantum offerentes falsam doctrinam, sed etiam quorum mores & vita est turpis, fugiendos esse, & quemlibet pium ab illis segregatum esse debere.* Verumquæ autem in ipsos competere, inde manifestum est, quia & in doctrina suos errores fovent, & in se per se esse conviciatores (quales ibidem nominant) in singulis ferè Responsionis suæ capitibus, re ipsa restatum faciunt. Viderint igitur ipsi, ne tot calumnias & convicia scelerata cum mulando, sibi ipsis tragicum eiusmodi exitum, quod prælagiunt, aliquando accersant.

XII. Narratiunculam pessima, ut moris est ipsis, fide instituunt, *De filio Civis Iglaviensis, jurati ipsis, & illum me sepultura, & patria terra, simpliciter exclusisse fingunt.* Cum autem in notatione breviori fieri haud possit, ut integrè res illa, ante annos valde multos gesta, recensatur, ea saltem attingam, quæ ad detegendum turpissimum, quæ Respondentes inserunt, mendacia faciunt. Constat igitur plerisque eius loci civibus, & præsertim Senioribus, ipsique Magistratui, coram quo postea Actio satis insolens, à Cive illo adversus me instituta fuit, quod minimè contra defunctum aliquid inhumanius statuere, multoque minus scævire voluerim, & ideo nec sepultura  
exclu)

## NOTATIONES.

exclusi eum, nec terram patriam, quæ mea non erat, illi denegare potui. At verò cum Patre vivo, istius seductore, quem antea multoties, ut ad sanio rem mentem rediret, sed frustra admonueram, mihi tunc fuit negotium, & huic petenti, honorificam deductionem solummodo funeris, ut homini segregato, ab eius loci Ecclesia, initio recusavi. Interea tamen Amplis: Senatui, per internuncios Senatores, ea de re mecum agenti, disertè significavi, me etiam deductionem funeris tandè m, comitante venerando Ministerio & Schola permissurum, si modo Pater coram eodem Ministerio, adhibitis testibus gravioribus, sanctè promitteret, se à scandalo perfidæ defectionis, ab Ecclesia sua, quam primum desistere velle, & se omnis illegitimis VValdensiū Ministris, atq; instituta reconciliatione, deinceps in Ecclesia hac nostra, eadem Confessione, & iisdem administrationibus sacris, cum cæteris piè usurum esse. Cum autem Civis ille obstinato & præfracto animo, mihi Pastori suo ordinario, ut & Magistratui, idem volenti, obtemperare nollet, sed contumacem se in his omnibus præberet factum est, ut de ipsius propria voluntate, funus defuncti in oppidum, quod Iglavia quatuor miliarium itinere distat, ad Synagogam, quæ in eo est VValdensicam, sepulturæ causa aveheretur. Hinc etiam factum est, ut post discessum meum, rectè idem Successoribus

## DE SECUNDO CAPITE

bus meis statuentibus, uterq; ille Civis, quorum est facta mentio, ad eundem locum deportarentur, cum obstinate in scandalis publicis perseverassent, & segregati à sua, cum qua habitaverant Ecclesia, è vivis excessissent. Eant nunc Conviciatores mei & dicant, *Quod cum iisdem Successoribus meis, in mortuos crudelitatem exercuerim, inhumanissime sepultura defunctum exclusim, & terram patriam nullo modo illi concedi, & à me exorari passus fuerim.* De quo ego contra vos Respondentes meos hic iure protestor, quod contra manifestissimam veritatem, quæ etiam in Actione publica, in Curia Reipub. illius, à Notarijs est literis consignata, impudentissime & sceleratissime, in Responzione vestra, typis excusa, me injuria atrocissime affeceritis. Quod si quid turbarum & insolentia, vestro iudicio, in eo concurrere videbatur, non mihi aut nostræ Confessioni addictis, sed vobis imputabitis, quia vos, & minime nos sumus autores illorum omnium, quando primi vos ipsi, in vicinis locis, & Ecclesijs nostris (in quibus beneficio DEI abrogato Antichristianismo, doctrina erat repurgata) habitantes auditores, ad vos abstraxistis, bonum ordinem ea ratione in illis impedistis, vinculum pacis & dilectionis (de qua iterum falso ad finem huius capituli gloriari pergitis) palam violastis, vicinorum  
animos

## NOTATIONES.

animos contra se mutuo exacerbastis, doctrinam, Sacramenta & Ministros Ecclesiarum nostrarum, non solum in contemptum adduxistis, sed etiam ipso facto damnastis, atq; actionibus tragicis occasionem præbuitis. Quod si ergò gravissimis de causis, reculamur deductionem ( nondum verò sepulturam, aut terram patriam ) defunctorum, qui in vita vobis obstinate ad mortem usq; obligati, & à nobis segregati esse voverint, non desinimus nostra doctrina, & nostris cætibus, atq; sacrorum administratione Ecclesiam, sicut hic simul fingitis, sed quod titulum & prærogativam illius, vobis cum contumelia aliorum vendicatis, testatum facimus, facile vos alioqui omissuri, si saniorum doctrinam profitentes, intra vestros limites, ut sit à nobis, vos contineretis.

## EX TERTIO CAPITE DISCREPANTIÆ,

nempe ex loco de Jurisdictione, aut Disciplina Ecclesiastica, & de Iustificatione, ab Antagonistis eidem adsuta,

Notationes.

**P** R I M A, De hoc capite, ut de cæteris, verba in Confessionibus ipsorum ut sonant accipio, & *minimè* veritatem,

H 3

quod

## DE TERTIO CAPITE

quod subindicant, *consulto aut de industria occulto*. Quod addunt, *Me confundere alicubi disciplinam Ecclesiasticam, cum œconomica vel politica*, id si ita se habet, non mea sed ipsorum sit culpa, quia nimirum ipsi res diversas in iisdem Confessionibus permiscunt, & ansam eas sic perstringendi, aut notandi subministrant. Exemplo sint ea, quæ in Apologia ipsorum fol. 117. recensentur, ubi præter Magistratum politicum, sibi alium peculiarem constituunt, qui dirimendis ac decidendis causis, & quidem forenlibus præsit, quarum cognitio alioqui omninò, ad politicum Iudicem pertinet, & minimè cum inspectione Ecclesiastica est confundenda. Hanc constitutionem suam, adeò strictè observari volunt, ut si quis ab ipsis ad civiles leges confugiat, aut aliquid prætendat, quo legitimam causam suam tueatur, illum tanquam contumacem, fulmine Excommunicationis feriunt, ut ibidem eodem folio videre licet. Præterea quod subjungunt, *Me alicubi & doctrinam simul cum disciplina comprehendere, & huic etiam caput de Iustificatione annectere*, in eo rursus se ipsos accusant, & sibi contradicunt. Nam ipsi in eo dicto, quod ex antiquiore Confessione de disciplina citavi, tam de hoc capite, quàm de tota doctrina se loqui fatentur. Sic etiam Iustificationis à me ideò hic fit mentio, quia ipsi in  
Con/



## NOTATIONES.

Confessione sua, hoc eodem de disciplina capite scribunt, *Quod ea exercenda sit, ut per illius observationem DEO placeamus, aut quod salutis aeternae causa sit praestanda.*

I I. Quod Fratres Bohaemici hoc caput de disciplina pluris faciant, quam omnia ferè cœtera, quodcūq; locietatis suae, vinculum illud unicum reputent, in priore scripto demonstravi verbis, quæ in Præfatione Confessionis ipsorum habentur. Hæc cum nequaquam negare possint, ad idem dictum à me ipsis obiectum, ne gry quidem respondent. Quod etiam in altero dicto, ex antiquiore Confessione citato, simul de doctrina & disciplina loquantur, quodcūq; ratione huius etiam ab alijs Ecclesijs, segregati esse velint, fateri cogantur, licet disciplina nequaquam fundamentum fidei Christianae, aut nota Ecclesiae primaria centeri possit, & ipsi Respondentes postea fateri cogantur, *Se non omnibus modis eam habere absolutam, nec nostrae Ecclesiae illa destituantur.*

III. Nulla est controversia de ijs, quæ in Responsione subiiciuntur, *Quod videlicet certi ordinis constitutio decens, & disciplina legitimæ usus, omninò in Ecclesia requiratur, secundum dicta illa Scriptura, quæ in ea citantur.* At verò illud est *κελεύματα* huius capituli,

## DE TERTIO CAPITE

tis, quod & in meo priore scripto, verbis disertis expressum est: An recte eiusmodi externa disciplina, potior religionis alicuius pars, aut nervus ex quo dependeat censeatur? Et, An propterea reſciendus vel deserendus sit coetus, qui salvis & integris fidei veræ Articulis, eam disciplinam quam vellet, non ubiq; obtinet, aut obtinere potest. Hunc controversiæ Statum, Respondentes callidè dissimulant, vel saltem obiter inter alia attingunt. De eo tamen affirmativam mordicus ipsos tenere, de sententia Præfationi Confessionis ipsorum insertæ, & de publico rei ipsius testimonio, sicut & auditoribus à congregationibus nostris per ipsos abalienatis, manifestum est. Contra nos qui Augustanam Confessionem profitemur, Negativam constanter defendimus, ob plures easq; gravissimas causas, in eodem libello meo assignatas. His & illud addo, quod sine minore periculo, aliquid in disciplina, & eius strictiore observatione desideretur, quam in cognitione & professione purioris doctrinæ, atq; sincera Sacramentorum tractatione, quæ ipsa de testimonio, sacrorum DEI oraculorum, ad salutem unice sunt necessaria, & ante cœtera quævis requiruntur. Id quod de disciplina externa, & operibus humanis, nequaquam statui potest, licet Antagonistæ mei, in Confessionibus suis, alias id asserant, alias negent, & subinde sibi ipsis contradicant.

IV. Re

## NOTATIONES.

IV. Respondentes falso de me fingere videntur, Quasi sentiam, legitimam esse, & cum CHRISTI ejusq; discipulorum exemplo, convenientem Sacramentorum administrationem, quando promiscuè & aequè administrantur, tam impijs, & qui manifestorum scandalorum authores, aut maximorum scelerum convicti sunt, neq; pœnitentiam agunt, quam pijs & CHRISTVM cognoscentibus. Nam & nos minime, huiusmodi discretione neglecta, & absq; justo Examine in Ecclesijs nostris, ad usum Sacramentorum quosvis admittimus, sed ubi res postulat, ab eodem usu eos suspendimus, & non nisi pœnitentiæ indicijs, prius depræhensis, eos admittimus. Viderint autem ipsi VValdensium Ministri, an suo semper officio hic rectè, ut quidem volunt videri, fungantur. Nam & D. Auerbeccius, qui è consortibus ipsorum fuit, scripto testatur, admisisse ipsos ad S. Coenam ( licet severissimam simulent disciplinam ) quos sciverint, Christiani & boni hominis nomine indignissimos, & ne gravissimorum quidem scelerum eos admonuisse, contra mandatum DEI, & Ecclesiæ constitutionem.

V. Hic ubi se convertunt ad desertores Ecclesiæ, quæ mihi in vicinia ipsorum commendata erat, & verba prioris mei scripti at-

## DE TERTIO CAPITE

tingunt, de suo addunt, Quod petierint, ne co-  
gerem eos deserere, piam congregationem su-  
am, in qua longo tempore versati essent, & iam  
senescerent: Quasi verò nostræ congregatio-  
nes essent impiæ, & quasi publicum desertio-  
nis scandalum, longiori tempore, & ad Senes-  
ctam usq; datum & admissum, turpitudinem  
eius non potius accusaverit, quam excusave-  
rit. Sic quæ subiiciuntur, si ea desertores ut  
*ἀπηλκνότες* protulerunt, procul dubio gra-  
vioribus à me refutati sunt ex eo, quod non  
tantum in arguendis auditorum publicis ac  
notorijis sceleribus, officio meo non deessem,  
sed etiam in refutandis dogmatibus fanaticis,  
idq; remota *προσωποληψία* in quo Ministri  
ipsorum Fratrum, potius quam nos, officij  
neglecti, accusandi essent. Quid verò aliud  
etiam his calumnijs quam Suenckfeldianorum  
& Anabaptistarum virus à Fraterculis suis  
haustum prodiderunt, quando scandala in Ec-  
clesia mea orthodoxa exaggerando, de tota  
Religione eius ineptissimi hi Critici sententiam  
suam protulerunt, quasi iudicium de certitudi-  
ne & veritate eius, ex vita vel docentium vel  
auditorum, & non ex puritate doctrinæ pe-  
tendum sit. Cum verò etiã minime per doctri-  
nam nostram eadem scandala comprobentur,  
sed gravissime & perpetuò arguantur, nec nos-  
tri propter illa coetus rejiciendi erunt. Nam  
alioqui

## NOTATIONES.

alioqui Nohæ præconis iustitiæ, Prophetarum & ipsius CHRISTI atq; Apostolorum eius doctrina, in dubium vocanda, aut ut falsa rejcienda fuerat, cum major pars ovium, seu auditorum, inter ipsos in sceleribus & scandalis turpissimis perseverarint. Præterea addunt eosdem dixisse: *Se non posse mihi animarum curam committere, cum haberent illos Pastores, quorum fidem & vigilantiam essent tamdiu experti.* His verbis, quibus Antagonistæ putant, se ab illis commendatos, multarum potius injuriarum erga me & Ecclesiam mihi commendatam accusati sunt, quod nimirum contra mandatum divinum, vocationem suam & certitudinem veritatis cœlestis, quæ in nostris coetibus sonat, quasi furtim abstraxerint eas oviculas, quas minimè ipsorum, sed meæ tunc curæ pastorali, legitima vocatione commissas esse noverant. In suo igitur grege, & suo in loco, ad quem legitimè vocati erant, & non alieno, si qui ex ipsis idonei fuerant, fidem illam & vigilantiam exercere debebant. Cæterum Respondentes hic carpunt, *Quod in genere Ecclesias Augustanæ Confessionis, negligentia in exercenda disciplina, desertores illos accusasse scripserim, cum maxime de ijs egerint, quæ domi apud ipsos, in civitate Iglaviensi fieri videbant.* At verò mendaces esse  
memor

## DE TERTIO CAPITE

memores, & cogitare oportebat, se ipsos alibi, sicut & in Præfatione recentioris Confessionis suæ, in genere de alijs Ecclesijs, & ita de nostris quoq; loqui, à quibus ratione disciplinæ velint esse segregati. Quin etiam de Proœmio Responſionis hujus constat, ipsos in genere, Augustanæ Confessionis Ecclesias, inter alia, ob neglectum disciplinæ studium perstringere.

VI. Scribunt: *Esse profectò alibi, non uno in loco, & ordinem & disciplinam longè meliorem, quam qualem hætenus usurpaverim.* Ego verò etiam fateor, varias esse Ecclesiasticæ disciplinæ formas, & de modo quo rectè pieq; exercenda sit, plurimum discerp̄ari. Vnde & de ea, quæ inter Fratres Bohæmicos exercetur, omninò constat, nondum esse talem, qualis esse debebat, sed multis rationibus eam in repræhensionem incurrere, licet occasiones exercendi illam, ipsi hætenus longe maiores quam nos, in his locis arripuerint. Non igitur mirum est, si vel ego vel alijs, id quod in servanda disciplina maximoperè volebamus, non semper obtinere possimus. Quemadmodum autem supra, de prima parte Notat. XVIII. ostensum est, ita & hoc loco, nolentes volentes restatum faciunt, disciplinæ studium, à me non esse posthabitu, in Ecclesia ipsis vicina, quando secundum reperunt

## NOTATIONES.

tunt verba, quæ ad finem hujus capituli, de eo assignavi in priore scripto. Cum etiam eadem notatione, quædam attigerim, quomodo isto in loco me præsentem, usu suo & exemplis quibusdam, studium illud disciplinæ fuerit comprobatum, nihil nunc addo. Quod autem vix semel, de difficultate disciplinæ, in amplioribus Ecclesiis exercendæ monui, id me diligenter inculcare nugantur. Nonne verò idem de D. Luthero, in Præfatione recentioris Confessionis suæ inserunt, quod non solum optaverit similem disciplinam, qualem illi quidem, ore & verbis suis tunc descripserunt, in nostris Ecclesiis introduci & observari posse, sed quod etiam deploraverit infelicitatem, & licentiam seculi illius, quod ejusmodi disciplinam nec posset aut vellet ferre. Cur non igitur Luthero quoque objecerunt ea, quibus odio se hinc me exagitant, & si quid in eo est, quod coram DEO hac in parte non excusari possit, cur Præfationi illa suæ, absque refutatione tali, tum inseruerunt? Viderint autem ipsi potius, quam ratione haud æquali, administratæ erga suos disciplinæ, de qua tantopere verbis pugnarunt, DEO rationem sint reddituri. Viderint quoque quomodo in judicandis, puniendis & eniciendis, manifesto malis, eo pacto disciplinam exerceant, ne sibi cognitionem causarum forensium, pro imperio sumant, contra verbum DEI, quod Ministerium Evangelij,

## DE TERTIO CAPITE

geli, & politicam gubernationem confunderè, omninò prohibet. Denicq̃ dum adeò ob suam Excommunicationem superbiunt, quid aliud volunt, quam quod cum Suenckfeldio negant, eam esse veram CHRISTI Ecclesiam, in qua non solennis aliquis excommunicationis modus vigeat &c.

VII. Subijciunt: *Nullò igitur modo in rebus externis, & qualiscunq̃ honesti ordinis constitutione, fundamentum salutis aeternae ponimus, sicut Hedericus in eam partem, verba nostra, contra ius & fas detorquet.* Hic Respondentes me impellunt, ut evidentius de præcipuo errore, ipsos cogar convincere, quem maturè D. Lutherus ex ipsorum scriptis notavit, & ego, ne excresceret numerus capitum discrepantium antea cum alijs quibusdam, non peculiariter suscepi refutandum, sed eum vix obiter attigi. Nunc tamen in breviori etiam Notatione multus in eo deducendo non ero. Rursus igitur provoco, ad verba ipsorum formalia, quæ in recentiore Confessione, post dictum, in priore scripto citatum sic habent fol. 96. *Charitas per fidem iustitiam efficit, ad dextram & sinistram, tam erga DEVM, quam erga proximum.* Item fol. 107. *Bona opera præstari exerceriq̃ debent, ut per ea, & fidem in CHRISTVM, luculentiorè aditum habeamus*

beatiss



## NOTATIONES.

*beamus ad præmia, & in primis ad regnum cæ-  
lorum æternum.* Et in Confessione edita An-  
no 1535. fol. 20. præmittunt quidem, Non  
ideò bona opera facienda, ut per ipsa homines  
justificationem, salutem, peccatorumve remis-  
sionem, se consequi arbitrentur &c. Sed mox  
contrarium asserunt his verbis: *Hanc etiam  
ob causam, bona opera fieri docent, ut abundè  
subministretur introitus, in æternum regnum,  
atq; inde copiosior gratia, & merces à DEO  
referatur.* 2. Petr. 1. *Hæc enim si feceritis,  
non labemini unquã, siquidẽ ad hunc modũ &c.*  
In primis autem per misericordiæ opera, &  
charitatis in proximum, elemosynas, infir-  
morum curam, aliorum institutionem, & hoc  
genus alia, quæ promissionem gratiæ & præ-  
mij habent, id fieri docent. Eadem dicta in  
Germanica Confessione recentiori habentur,  
fol. 33. & 38, ubi rursus citant D. Petri di-  
ctum, in quo tamen non de causa, sed de effe-  
ctu vel signo agitur. His etiam similia, ubi in  
Apologia ipsorum copiosius habeantur,  
supra de prima parte Notatione X. assi-  
gnatum est, ut facilè à quovis integra fo-  
lia, quibus illa continentur requiri, & ratio-  
ne totius contextus, ponderarari possint.  
*In his enim iustitia, qua homo peccator iustifi-  
catur, ipsis dicitur lege naturali inserta, &*  
*primo*

## DE TERTIO CAPITE

primo homini concreata, ab eoq; in posteros  
propagata donatio Spiritus Sancti: renovatio  
novi hominis: virtus imaginis D E I: efficax  
& liberalissima, caelestium donorum effusio:  
novitas creaturae: Spirituales regeneratio:  
opus D E I intrinsecum &c. Qua fronte igitur  
mihi imputant, quod contra jus & fas verba  
ipsorum torquem, cum me non aliter,  
quam ut ab ipsis tot locis discrete posita & re-  
petita sunt, ea recensere & citare, cuius sit plas-  
num. Cur vero ipsi in rebus tam arduis, tot  
tamq; perniciosis ludant Antilogijs, & praeci-  
puum Religionis nostrae Articulum de Iustifi-  
catione ( qui recte a D. Luthero in Praefatio-  
ne Epist. ad Galat. ad fundamentum eius re-  
fertur ) corrumpunt, eumq; confundunt adeo  
turpiter, cum loco de disciplina, aut bonis o-  
peribus, quae minime ad id fundamentum re-  
ferri, aut cum eo permisceri debent. Id quod  
etiam D. Selneckerus in Praefatione luculenta,  
Germanico meo libello praemissa, eodem me-  
cum sensu, de ipsis recte notavit, & non con-  
tra jus & fas, ut calumniari audent, detorsit.  
Quare donec hunc late patentem, & pernicio-  
sum errorem suum, cum doctrina sacrarum li-  
terarum, & imprimis D. Pauli, ( ut alibi in  
Confessionibus nostris demonstratur ) pugnan-  
tem, Fratres Bohaemici cum alijs crassis, in lo-  
co de persona CHRISTI, & Sacramento-  
rum

## NOTATIONES.

rum corruptelis, in suis scriptis non aperte, & remota omni perplexitate emendant, atq; publice reuocant, nullo vnquam modo intelligentibus, & amantibus veritatem persuadebunt, se in Fundamento idem cum Ecclesijs orthodoxis, & hoc tempore repurgatis consentire. Etsi enim in Responsione sua hinc subiiciunt, *Se non opera, priore loco collocare, sed fidem & iustitiam huius, vnde postea ipsa opera promanare debeant*: tamen his verbis nondum tolluntur Pelagianæ, Osiandristicæ & Antichristicæ locutiones, quæ habentur in scriptis, aut Confessionibus ipsorum, quas tamen nihilominus pro puris & synceris, hæctenus venditant, & tantopere propugnant: Sic etiam nondum se expediunt ex eo, quod dicto D. Petri de operibus fidem sequentibus abutuntur. Necessè est igitur, vt perspicue fateantur, nos sine præcedentibus, concurrentibus & consequentibus operibus iustificari, & salutem vitam æternam consequi, non tantum quoad causam, meritum & efficaciam operum, sed etiam quoad necessitatem præsentia illorum, in actu Iustificationis, in quantum Iustificatio consideratur. Sic etiam opera, Iustificatione & fidem sequentia, cum eius sint effectum, nequaquam loco efficientis reponi possunt.

II X. Contendunt, *Se neq; cum Carthusianis, aut cæterorum ordinum Monachis neq;*  
I cum

## DE TERTIO CAPITE

cū vllis alijs, externam speciē solam iactantibus  
vllō modo conferrī posse, cum alio prorsus ni-  
tantur fundamento. At vero an non suo  
modo, quoad fundamentum, ipsis corre-  
pondeant, ex ijs quæ jam præmissa & ex ipso-  
rum scriptis, de operibus, abunde introitum  
in æternum regnum subministrantibus, repeti-  
ta sunt, cordatis absq; negotio iudicare licebit.  
Hoc ipsum quoq; pluribus D. Auerbeccius  
scripto exposuit, cuius aliquam partem præ-  
sertim quantum disciplinam spectat, in hoc ca-  
pite subiicere libet, ne quis me temere idem,  
adeo negantibus, & non nisi conuinci uolent-  
ibus Antagonistis, adseruisse putet. Sic autē  
habet. Iacobus Hardmannus uir DEI, &  
Propheta huius nostri seculi verissimus, cum  
aliquando diuersarum sectarum Euāgelicarum  
fecit mentionem, ex Spiritu DEI, Fratres  
Bohæmicos, quos Picardos vocant, Mona-  
chos esse Euangelicos dixit, quod ego tum,  
cum mihi Fratrum vita fuit ignota, neq; in-  
tellexi, neq; quomodo uir DEI intelligeret  
quæsiui. Iam autem postquam ipsis per annos  
vndecim cohabitauī, & ipsorum vitā ac mores  
diligentiū obseruaui, ipsum verissima dixisse  
intelligo. I, Sicuti enim Monachi, Romanam  
Religionem, cum reliquis Pontificijs, retinent  
& defendunt, & communi nomine Catholici,  
& reliquorum Catholicorum Sacerdotum  
Fratres

## NOTATIONES.

Fratrēs appellari volūt, & nihil minus dissideēt,  
quā si quis ipsos à reliquis Pōtificijs separet: Ita  
& Fratres Boleslavientes, Evangelici salutari  
volunt, & reliquorum Evangelicorum Con-  
fessionem approbant, & cum ipsis contra  
Pontificios pugnant. II. Deinde sicuti Mo-  
nachi, licet Catholici appellari velint & sint,  
tamen peculiare suas Regulas, & instituta  
singularia habent, secundum quæ vivunt &  
docent: Ita Fratres certis quibusdam obser-  
vationibus & institutis, se à reliquis Evangelicis  
separant. III. Sicuti Monachorum Regula  
læ, præcipuè versantur circa mores & discipli-  
nam, quam strictiorem & perfectiorem reli-  
quis se Christianis, observare existimant: Ita  
& Fratrum traditiones, præcipuè mores ho-  
minum corrigunt, & severiore disciplina co-  
hercent. IV. Sicuti Monachi in disciplinam  
externam intenti, sæpe magnos errores in  
Ecclesiam invexerunt, & contra reliquos de-  
fenderunt: Ita & Fratres quosdam errorum  
retinent & defendunt, ut falsum Coelibatum,  
Lymbum Patrum, & alia. V. Sicuti Mo-  
nachi externa sanctimonia, quæ homines in  
admirationem traxit, multos ad se rapuerūt, in-  
primis miseræ mulierculas: Ita & hi multos, &  
inprimis nobiles matronas, externa sanctitate ad  
se trahunt, & sibi præ reliquis Sacerdotibus,  
ipsarum gratiam & amorem conciliant &c.

## DE TERTIO CAPITE

IX. Coguntur vel invitati id fateri, Disciplinam quam in Ecclesia commendant laudando, non posse perfectissimam esse, & propter infirmitates, aut vitia & lapsus quorundam, universum cœtum minimè reijciendam esse. Quod verò addunt, Me falso ipsis adscripsisse, quod diversum senserint, de eo iudicium fieri poterit ex his, quæ ex Responsione parte prima, Notat. XVII. inter alia de rationibus, cur nobis se adungere nolint, ostensa sunt. Idem cum verbis quoq̃ desertorum memorum in hoc capite, Antagonistæ paulo antea recensuerint, rursus ipsos, ut mendaces oportebat esse memores. Quæ his proxime subjungunt, nobis etiam non minori, quam ipsis sunt curæ, & ideo ego meo loco, tum temporis propositis, & cum Magistratu, atq̃ toto Ministerio Ecclesiæ mihi commissæ communicatis, de disciplina Ecclesiastica Articulis, omni quo potui conatu elaboravi, ut lapsus in infirmis corrigerentur. Quæ etiam inter Ministros Ecclesiæ illius, vel aliarum, quæ reformatæ sunt, sine injuria nominare poterunt, qui sui penitus officij oblitus, adeo infidelis sit, ut cupiat permittere licentiam eiusmodi, qua multa scelera & impia facinora impunè, absq̃ omnium Ecclesiastica, quàm Politica animadversione grassentur. Vt verò apud nos utraq̃ animadversio, ut sit apud ipsos, confundatur, id meri

meri

## NOTATIONES.

meritò evitamus. Nec ipsorum nobis opus est studio tali, quo multa meliora reddantur, sed illud in suo, non verò alieno grege, apertè addictis sibi membris probare debent. Non igitur habent, quod jure hac in re carpant, aut in nobis desiderent, nisi quod alijs non sine arrogancia, ea in re semper præferri volunt.

X. Quæ de coacta ipsorum disciplina scripsi, mala fide citant, cum non simpliciter, sed magna ex parte eam esse talem ostenderit, sicut alias de non renatis, vel formidine pœnæ, vel spe præmij, scelera omittentibus declaratur. Quin etiam renati, quo ad veterem hominem, & reliquias peccati, tam lege quàm animadversione pœnarum urgentur & coercentur, ut eatenus etiam coacti officium faciant, non minus quàm impij, qui comminationibus legis compelluntur, & invitati utcunq; in obedientia detinentur. Narrant autem, quod illi, qui ex reformatis Ecclesiis à nobis deficiunt, ipsi à se sponte sua & voluntate, Ecclesiis ipsorum sese conjungant. Item, Quod neminem ad id vinculis, carcere, ullisvè multarum pœnis alijs adigant. At verò non addunt, quibus illecebris se antea eis insinuaverint, vel per se vel per alios operam suam, eamq; gratuitam offerendo, nostrarum Ecclesiarum Ministros Simoniacos, & minus fideles carpando, & reliqua suggerendo, quæ de propria

## DE TERTIO CAPITE

pria ipsorum Confessione sup: de prima parte Notat. XVI. constant. His igitur persuasionibus moti, sua dant VValdensicis Senioribus nomina, & ab his recipiuntur, sicut hoc verbo ipsi hic illud exprimere coguntur. Addunt *Quod iam receptos, ubi obedire nolint, vel dimittere, vel quod ipsi sponte sua discedere soleant.* Id sane verum est, plures in quibusdam locis, cum ex alijs, & ex meo scripto, de melioribus edocti essent, ab illis secessisse. Nam hi ex eorum numero fuerunt, quorum mentes sunt sanabiles, & affectibus viciosis non indulgent. At vero plures alij, ut & desertores Ecclesiae meae, cum essent insanabiles, & odio nostri flagrarent, illis obligati manere & mori voluerunt.

XI. *De obligatione eorum, quos in societatem suam recipiunt, aut quam tempore confirmationis adhibent, nihil scripsi calumnia maliciosissima, sicut mei Conviciatores odio veritatis latrant.* Provoco igitur rursus, non solum ad verba ipsorum aliqua, sed & integros Tractatus, quos peculiariter ea de re scripserunt, ut praecedenti cap. Notat. V. ostendi, ubi eodem alexipharmaco maleferiatorum usi erant. Viderint autem ipsi, num eadem quae de obligatione in ipsorum opusculis habentur, maliciosissimo animo non sint excogitata & scripta. Nec his rursus infero, quae Notat. V. capis



## NOTATIONES.

capitis præcedentis, de eodem ad convincendum illos, assignata sunt. Quid etiam prodest multa millia testium adducere, ubi rerum ipsarum testimonia, totis regionibus & provincijs perspecta adsunt. Nonne verò inter tot mille testes erit etiam habendus D. Auerbeccius, qui receptus in societatem ipsorum, idem re ipsa expertus est. Hinc de obligatione illa, in scripto antea citato, hæc inserit: Affirmant suos propter publicam obligationem, quæ fit tempore Confirmationis (qua tamen publicè Confessionem suam edunt, & se Ecclesiæ obligant, tantùm pauperes, cum ditiores paucis verbis, in loco privato, contra justitiam, quæ servat æqualitatem, & non respicit personam, recipiantur) magis esse Ministerio obediens reliquis, quod & ego verum esse fateor. Vidi enim sæpè, quomodo se coram Fratribus humiliant, & quod nonnulli ipsos ferè adorent. Sed scio hoc etiam facere meretrices, scortatores, potatores, impudentes, & ideo hanc externam hypocriticam subjectionem, non semper esse signum veræ pietatis, & Christianæ obedientiæ, neq; sufficientem causam, cur ab illa Ecclesia discedere debeamus, quæ eiusmodi obedientiam, à suis impetrare non potest &c. Quæ in eandem sententiam, in Quærela Ecclesiæ contra ipsos scripta habentur, brevitatis studio omitto. Eadem de causa non recenseo strophas verborum, quibus

## DE TERTIO CAPITE

bus Receptionem suam aut obligationem, quæ sit tempore Confirmationis involvunt.

XII. Non sine virulentia scribunt, *Me maledico dente carpere, quod impunè dimittant, divites & nobiles. In quo etiam nimis me errare cum Kyrmezero, idem de ipsis in publico scripto adserente addunt, sicut & in eo, quod Excommunicatio fiat, in Ecclesiis ipsorum, magna cum levitate &c.* Hic iterum crimina falsi committunt, quia ubi ego in meo libello, locutionibus tantum utor particularibus, ipsi in universales eas pervertere, & quædam de suo adsuere haud verentur. Tempus autem nimis longum, nempe XVIII. Anni fuerant elapsi, quando post scriptum meum prius editum, Responsionis maledicæ, mihi tandem copia est facta, ut ab initio memini. In terea dum amplissimis functionibus, & longè alijs distractus fui studijs, multa exciderunt memoria, præsertim cum repetitione istorum, nulla opus fore putarem. Quod si aliquorum existis meminisse possem, non tamen ut nunc recenserem, consultum foret. Non enim obijcere id Antagonistæ desisterent, ex auditu tantum illa percepta, & ideò falsa esse. Ego verò adhuc non video, cur pro veris ea habere non debeam, quæ consentiente mecum scripto Kyrmezerus, & D. Auerbeccius eadem de re commemorant, præsertim cum alter hic non tantum

tum

## NOTATIONES.

tum propè iplos vixerit, sed etiam ad annos  
XI. eidem societati adjunctus fuerit. Verba  
igitur illius quæ nuper de hoc capite disciplinæ  
externæ citata sunt, & quibus manifesto dicta  
mea confirmantur, pro repetitis habeo. His  
addo gemitus, qui in Quærela supplici, Eccle-  
siæ Sponsæ ad CHRIS TVM Immanuelem  
Sponsum effunduntur, Num: 26. hunc in mo-  
dum: Gloriantur etiam atq; etiam de disci-  
plina Ecclesiastica, & Excommunicatione: sed  
quæ illa sit, Tu perquam optimè scis. Est certè  
verbalis, & non realis. Dant veniam corvis,  
vexat censura columbas. Exercent quidē car-  
nificinam conscientiarum, apud vulgus & pau-  
peres abjectosq; & plus propter transgressio-  
nem somniorum suorum, quam mandatum  
tuum. Sed qualem disciplinam exercent, er-  
ga Magistratum, & ditiores excommunicant,  
apud semetiplos, duos vel tres, ne eum pro  
Fratre agnoscat. Illi autem non quicquam a-  
periunt, nec id publicè faciunt, nec cuiquam  
dicunt. Quare? Quia, inquiunt, si sciret (reus è  
Magistratu) se esse excommunicatum, discede-  
ret à nobis. Ipsi etiam tres, nempe Seniores,  
apud quos est jus excommunicationis cum eo  
porrò loquuntur, & convivantur quandoq;  
Qualis est hæc disciplina? Tu CHRIS TE  
aliquando animadvertes. Me contemnunt,  
quod parem ( disciplinam ) non habeam. Sed  
gratia tibi, nec eam opto. Tu enim scis, quod  
I 5 apud

## DE TERTIO CAPITE

apud me, pro loco & tempore, salva disciplinae præcipua pars vigeat. Hactenus Querela. Hinc igitur, <sup>et</sup> ex multis alijs cognosci potest, nū inconsideratè & temerè de ipsis, ut hic rursus nugantur, iudicium tulerim. *Quæ etiam de ignominia & dedecore, ad me ipsorum causa redundante, præterea effutiunt, meritò flocci facio, & præter evidentiora veritatis testimonia, clarissimorum istis conviciatoribus viorum, & aliorum quorumvis rectè sentientium, oppono testimonia.* Nec dubium est, quin hæc ipsa ignominia, & sempiternum illud dedecus, apud eosdem omninò sit in ipsos redundaturum.

XIII. Quæ postremò hic addunt, quàm scelerata, & turpissimis mendacijs conjuncta sint convicia, ad finem præcedentis capituli ostensum est. In hoc etiam casu disciplinae Ecclesiasticæ, non adversus defunctum, sed vivum Patrem, obstinatum congregationis suæ desertorem, moderatione iusta observatæ, perverse in alio vituperant, quod in seipsis laudant. Denic̄q; cum desertori, tantum deductio funebris, defuncti filij, pro tempore denegata fuerit, nullius Consistorij iudicio opus fuit, præsertim cum multo ante, omnes in urbe ista & agro Ministri, cum Rectore Scholæ, articulis disciplinae Ecclesiasticæ, idem statuentibus, una mecum, Magistratu eius loci tunc annuente sub/

## NOTATIONES.

te subscripsissent. Quod si tantam me calum-  
niandi propterea licentiam, Fratres isti igno-  
rantiaë satis crassæ, sibi sumere volebant, prius  
discere debebant discrimen, inter Majorem ill-  
lam excommunicationem, quam ipsi cum Pa-  
pa communem habent, quæ non nisi poena ci-  
vilis est; & Minorem, quæ propria est Mini-  
strorum verbi, quando jure manifesto scelera-  
tos, obstinatos & impœnitentes, ab Ecclesiæ  
communione & administrationibus eius aban-  
cent. De quo sane quid D. Lutherus monue-  
rit, in Articulis Schmalkaldicis videre licebit,  
& alibi. Ex hoc etiam vel unico exemplo,  
quod superiori & hoc capite, tot tamq̃ cras-  
sis mendacijs in medium prolatis, incredibili  
malicia inculcarunt, & exasperarunt, judicium  
fieri potest, quo spiritu Conviciatores isti re-  
gantur, nempe eo, qui pater est maledicentiæ  
& mendacijs, quando cupiditate vindictæ fla-  
grantes, ea de me confingunt, & tantam mihi  
crudelitatem & inhumanitatem tribuunt, qua-  
lem à me admissam fuisse, nullo unquam mo-  
do demonstrare possunt. Vnde huiusmodi  
mendaciorum pudere eos, coram DEO &  
hominibus, perpetuò debebat, si modo vel  
aliqua, pietatis & verecundiæ scintil-  
la, in ipsis esset reli-  
qua.

EX

DE QUARTO CAPITE

EX QUARTO CAPITE  
TE DISCREPANTIÆ

nempe ex loco de Ministerio, &  
mediata vocatione Ministrorum,  
deq; Stipendijs eorum,  
Notationes.

**P**PRIMA. Non præmitto tractat  
tiunculam Quæstionis, quæ in plenior  
Antithesi poterat inseri: An vocatio &  
electio Ministrorum verbi, pertineat ad solos  
Seniores, aut Præpositos Fratrum VValdens  
sicorum, & non etiam ad Ecclesiam, non qui  
dem promiscuam multitudinem è vulgo, ut  
Anabaptistæ volunt, sed delectos è plebe, &  
inprimis pium Magistratum, ubi haberi ille  
potest, intelligendo: Id enim à testimonijs &  
exemplis Actorum Apostolicorum, & primit  
tivæ Ecclesiæ dissentire manifestum est, sicut  
etiam in Articulis Schmalkaldicis Confessionis  
Augustanæ correspondentibus declaratur.  
Idem hætenus ab orthodoxis inter Antichri  
sti sacrilegia refertur, quod electionem, voca  
tionem, remotionem, Ministrorum, Ecclesiæ  
ereptam, ille ad se solum transtulit &c. Ne  
quaquam autem initio veteratorie, quod  
Conviciatores fingunt, ullam sententiam aut  
verba perverto, sed ut ab ipsis exprimuntur,  
& se

## NOTATIONES.

& se reipsa habent, recenseo. Hinc non audent negare, quod scripsi, *Ministros ex plebe, & varijs opificum generibus ab ipsis eligi, nisi quod de suo fallarij adsuunt: Se vel ineptissimos quosq; eligere, & inde inferunt, quod velim inter illos nullum esse delectum.* Ridicule autem putant, se hoc modo elabi posse, *Quod in nostro etiam numero, non tantum opifices tabernarij, canpones, sed etiam in genere vitæ infamis versantes reperiantur.* Id verò quamvis ita se haberet, tamen neutiquam posse se ipsis patrocinari, non solum inde constat, quod legibus & minimè exemplis sit iudicandum; sed etiam quod ab ipsis Senioribus eligentibus, scientibus & volentibus opifices & idiotæ, in omnibus istis locis, in quibus suas habent Synagogas, & è quibus excursores suos, ad vicinos ablegare solent, ad concionandum adhibentur. Id verò non probare poterunt, de Ecclesiis nostris, nempe Augustanam Confessionem profitentibus, quia si in illis eius generis homines, quales ipsi perstringunt alicubi, sed quam rarissime adhibentur, id non nobis verbi divini Ministris, quibus in vitis illa contingunt, sed ijs ad quos vocatio & electio Ministrorum, propriè spectat, imputandum erit. Vnde & falso ex relatione delatorum addunt, *Me etiam talibus non optimæ existimationis hominibus, operam meam impendisse.*

disse

## DE QUARTO CAPITE

disse, & ut ad manus Ecclesiasticum pervenirent, ope & auxilio meo perfecisse. Non enim quisquam opera mea ad hoc officium promotus fuit, qui non à puero in literis fuisset institutus, & qui non uni huic rei in posterum vacasset. Quin verò etiam non à me, sed per Ecclesiam & Magistratum suum, vocatus & electus fuit, & per eosdem, ut habito examine à Theologis Academicis, ad Ministerium ordinaretur, omninò obtinuit. Qua temeritate igitur Respondentes de eo nugantur, quod ipsis incognitum, & ex ineptioribus rumusculis perceptum est.

II. Inter rationes, in meo libello assignatas, cur non opifices & illiterati homines, ad Ministerium Ecclesiæ vocari nunc debeant, hanc vel solam repetunt, *quæ ex sacris Apostolorum dictis aliquot gravissimis, ante petita est: ut nimirum quisq; in ea vocatione, in qua vocatus fuit, maneat &c.* Nam de suo falsarij, ut solent, adsuunt adverbium *Semper*, & particulam *nunquam id mutet*. Hanc autem rationem, rursus quibusdam exemplis, ad suos Ministros detortis, frustra evertere conantur. Nam ingens est inter exempla Matthæi Publicani, & Petri Piscatoris, aut etiam Ambrosij & Martini militum dissimilitudo, quando cum his conferuntur, quæ in **V**aldensicis Ministris concurrunt. Etenim  
Matthæus,



## NOTATIONES.

Matthæus, Petrus, Ambrosius & Martinus, DEO ipso jubente & disponente, prius vitæ genus ita mutarunt, ut unico Ministerij officio, assidua vigilantia, & cum salute totius Ecclesiæ administrando, penitus essent occupati, & deinceps negotia politica omitterent. Contra verò Fratrum istorum Ministri, licet diebus Dominicis conciunculas, absq̃ fundamento perbreves, & ex Postillis sine iudicio arreptas habeant, aut interdum legant, tamen reliquo tempore, suis opificijs, & tractandis rebus politicis sunt dediti. Hinc confusione diversarum functionum, mox alias rationes, in meo libello subjunxi, sumptas à difficultate muneris Ecclesiastici, & ab adminiculis artium liberalium, & studijs doctrinarum, ad rectè docendum omninò necessarijs. Quod si igitur Respondentes putant, Ministros suos, ad hoc genus officij legitimè vocatos esse, cur non assidue, ut par erat, illos eidem, & studijs ad id necessarijs deinceps vacare jubent? Sic etiam Medicinam ei esse faciendam, qui Theologus sit, nego eo quidem modo, ut maximam partem temporis & curarum illi impendant, cum vocationem Theologicam, non solum quia anima præstat corpore longe potiorem esse, sed vel multo plus studij, lectionis, vigilantia, assiduitatis, requirere sciat. Vnde & perperam meum hîc allegant exemplum, de quo nullo unquam modo probabunt, me majore & frequen-

quens

## DE QUARTO CAPITE

quentiore studio aut vigilantia Medicinam, quam Theologicam meam Professionem tractasse. Nam admodum raro, & vix multis precibus, atq; absentibus Phycis ordinarijs, tempore necessitatis, ad faciendam aliquatenus Medicinam ( cui e fundamentis suis discenda valetudinis potissimum meae causa, jam olim in Academijs incubui ) me passus sum adduci, & alicubi annis plurimis eandem penitus intermisi, ut Collegis & amicis, cum quibus vixi, abunde constat. In hoc etiam exemplo Dialecticos iterum non se bonos declarant, quod ab homine in literarum studijs, inde a puero, ad ingravescentem usq; aetatem instituto, ad illiteratos & idiotas, de quibus controversia est, & qui artes Mechanicas tractant, argumentando procedunt &c. Nec urgeo illud, quod magna sit Medicinae & Theologiae cognatio, & quod utraq; S S. Patribus, Prophetis, Lucae Evangelistae, Damasceno Theologo, fuerit in usu. Addunt, se certo scire, ad ea quae faciant, se legitime vocatos esse. At vero cur vocatio Ministrorum, inter ipsos a Senioribus tantum suscepta, haud abs re possit vocari in dubium, supra memini. Quod vero etiam sine justa & legitima vocatione, se obtulerint passim in ijs locis, aut vicinis, in quibus reformatae fuerant Ecclesiae, ex Notatione secunda, capitis secundi discrepantiae potissimum constat.

III. Scrip

## NOTATIONES.

III. Scribunt, *Egestatem sæpe argere, ut Minister Ecclesiæ etiam corporis laboribus, necessariò aliquid tribuat.* Hic non disputo de eo, num tot Ministris, & imprimis excursoribus, quibus concionando utuntur, ipsis sit opus, & an nõ pauciores minori sumtu ali possent? Sic nec de eo disputo, an non Fratres isti, labores manuum suarum, propter egestatem, non sine simulatione quadam Monastica, prætendentes, nihilominus quiete & pacate, (sicut è consortibus ipsorum quidam scribit) omnibus necessarijs fruantur? Sed illud tantum addo, Si aliquid eruditionis in ipsis esset, quo rectè muneri Ecclesiastico præfici possent, non defuturos, qui iusta mercede eos conducturi, & mediocria alimenta subministraturi essent, ne studia Sacra alienis curacionibus & negotijs, impediri necesse esset. Etsi autem & nos minimè probamus, *Si quis ex Ministris conviviorum luxui, vel voluptatibus vanis, & aleæ det operam, ut hic inserunt, vel si alijs levitatibus indulgeat, tamen illud non admitti potest, ut lectiones & operæ sacræ, quibus omninò & assiduè attendendum est, per prophanas, & literariæ atq; liberales, per manuales & illiberales, impediantur & confundantur.*

IV. De exemplo D. Pauli, quod hinc allegant, *Qui videlicet manibus proprijs laborando, victum sibi & alia necessaria quæsiverit,*

K.

rit,

## DE QUARTO CAPITE

rit, nihil aliud addo, quam quod priori meo scripto inserui, illud nempe Respondentes in hoc casu, non sine κακοζηλίας adducere, Est enim prorsus singulare, de quo ipse Apostolus 1. Corinth. 9. commemorat, quod libertatem, qua uti poterat alioqui, ob id tandem remisit, ne Pseudoapostolis ansam maledicendi præberet, cum scilicet maluit victum manibus quærere, quam sustentari Corinthiorum sumptu, quibus Euangelium ministrabat. Quin etiã de eodẽ orthodoxi Patres Ambrosius & Theophylactus scribunt, quod & Pseudoapostoli nihil stipendij acceperint, scilicet propter lam & velut ordinariẽ, sed simulantes paupertatem, voluerint videri se gratis docere, idq; eo furo aut fraude, ne sanctitate Apostolis inferiores esse viderentur. Hanc occasionem gloriandi, præ se D. Paulus eis concedere noluit, sed & ipse nihil accepit, idq; revera, ne gloriari possent, se in hoc ipso sanctiores esse. Viderint igitur Ministri Fratrum Bohæmicos, ne dum volunt haberi similes, aut imitatores hac in re Apostoli, seipso fraudis, & doli illius suspectos reddant, quem tunc de Pseudoapostolis Paulus detexit, & cuius causa jam pridem ipsi male audiunt. Quod enim hac in parte non urgeat, imitationem sui, è plurimis rationibus colligitur, quibus ipse ius Ministrorum Euangelij, de accipiendo justo stipendio comprobatur, & abundè confirmatur. An etiam

## NOTATIONES.

etiam hac de causa, & ob id quod gratis docerant, beatiore alijs, secundum Domini verba, quæ allegant ex Actis Apostolicis haberi, & eo pacto rursus D. Paulo comparari possint, ex iisdem quæ jam dicta sunt, æstimare licet.

V. De pijs colloquijs, inter manuum labores miscendis, de quo & Augustini dictum citant, nemo est qui diversum sentiat. Sed quomodo hoc ad Ministros verbi accommodabunt, qui officio Ecclesie fideliter curando & administrando, quam maximè & assidue vacare debent? Oppono igitur hinc Respondentibus meis, longè apertius & certius dictum, quod in sacris literis, & Syracide habetur, qui idem graviter & copiose adserit, videlicet non æquum aut consultum esse, ut quis sacrorum oraculorum, interpretes vel præco, & simul servilium operarum sit tractator. Sic enim cap. 38. à v. 25. usq; ad finem emendatior sacrorum Bibliorum translatio habet: Literata sapientia per oportunitatem oculi quaeritur, & qui negotii sui minus habet, sapientiam parare poterit. Quomodo evadat sapiens, qui tenet aratrum, qui insignis hastili stimuli boves agit, qui versatur in operibus eorum, & qui taurorum progeniem assidue prædicat? Nam is ducendis sulcis intendit animum, & in pabulis vaccarum conficiendis evigilat. Idem mos est omnis fabri & artificis, qui simili stu-

## DE QUARTO CAPITE

dio traducit noctem ac diem. Qui sigillorum in modum scalpunt coelaturas, & qui variandis immorantur emblematis, in imitatione picturæ animum quisq; occupant, & operi perficiundo invigilant. Faber item ferrarius, sedens ad incudem, operi ferri intentus, vapore ignis corpus eius exiccante, æstu fornacis conflictatur, & crebrò feriente aures eius, mallei sonitu, oculos suos ad conformandum instrumentum defigens, animum ad opus absolvendum applicat, & ad idem excubat exactè polliendum. Similiter sedens ad opus suum figulus, rotamq; suam pedibus versans, ad opus suum totus incumbit sollicitè, & opificium omne suum habens innumerato, nunc lutum conformat brachio suo, nunc pedibus vim eiusdem profubigit, nunc curam impendit operi perliniendo, & ad excolendum caminum advigilat. Horum omnium quisq; fretus suis manibus, opere suo consumit, quod habet sapientiæ. Sine his quidem nec coletur urbs illa, nec inhabitabitur, nec perambulabitur: at tamen nec sententiam rogabuntur, in consultatione populi, nec in concione eminebunt, nec sedebunt pro tribunalibus, nec ritum iudiciorum intelligent. Neq; verò de jure pronunciarint aut æquo: nec arcana dictorum eruerint, sed opificia mundi firmant, & pro exercitio artis vota faciunt. Hæc Syracides. In Biblijs etiam Germanicis evidentius illa sunt red

## NOTATIONES.

reddita: Quod is cui Scriptura sit discenda, non possit alteri cuiquam labori vacare, & eum qui docere debeat, non oportere quicquam aliud agere &c. Quod hic Respondentes addunt, *Se planè affirmare, doctrinæ studijs instructos, valde utiles esse Ecclesiæ, & se quoq; in hanc rem incumbere, ut doctrina tali sint instructi,* non solum diverlum ex scripto Bohœmico contra D. Lutherum à majoribus ipsorum edito, sed etiam ex recentiore D. Auerbecchi testimonio constat, ubi in scripto de studijs linguarum in Ecclesia, pluribus ostendit, plerisque Seniores VValdensicos, literarum rudes, imo & osiores esse &c.

VI. Rursus impulsu spiritus illius, qui est pater mendacii fingunt, *Quod prorsus omnes, artib. Philosophicis minus exultos condemnent.* Nulquã enim ego hos dånavi, sed id adhuc affirmo, opifices & idiotas non esse idoneos, qui ad Ministerij Ecclesiastici munus adhibeantur. Id quod ad hunc modum statuo, ex dicto Apostoli, quo Timotheum suum ea, quæ ex ore ipsius audiuit, inter multos testes, commendare jubet fidelibus hominibus, qui sint idonei, ut alios quoq; doceant. Huiusmodi autem sunt, quos alibi præcipit esse *διδασκικὸς κερικὸς καὶ ἑλεγκτικὸς.* Item, quos jubet *ὀρθοτομεῖν,* seu rectè secare sermonem veritatis. Hæc autem cum ignota sint ijs, qui non à te-

## DE QUARTO CAPITE

neris artium & linguarum studijs exculti sunt, & qui insuper operas, non nisi serviles ac civiles, non verò Ecclesiasticas & Spirituales tractare didicerunt, easq; tractare non desistunt, qua ratione idonei & digni Ministerio haberi possint, ne quidem adhuc video. Quin verò etiam Antagonistæ seiplos refutant, dicto eiusdem Apostoli, ad quod respiciunt, quando dicunt, *Ministros lectioni attendere &c.* His enim verbis Apostolus, ad assiduitatem studiorum, & ad discendam, atq; tempore quo vis tractandam Theologiam eos hortatur &c.

VII. Respondentes haud obscure approbant, crassum illud iudicium, *Quo maiores ipsorum* (quorum auctoritatem in re tali simul hic allegant) *de studio artium & linguarum, jam olim usi sunt,* de quo & supra, de prima parte, Notat. XII. quædam sunt præmissa. Falsum enim est, *Quod homines rudes & simplices, & laboriosi atq; exerciti* (artibus manuarijs & sordidis) *magis idonei sint ad docendum, & plus operæ navent, quam viri præclare docti.* Res enim ipsa abundè testatur, quod ab hominibus rudibus, sine fundamento & iudicio, inepta, confusa, & inconvenientia quæq; proferantur, tam alias, quàm in concionulis, quas pleriq; vix ad quadrantem horæ, solent & possunt habere, ut ipse ijs in locis, in quibus

Mini/



## NOTATIONES.

Ministri VValdensici, majori versantur numero, & suas habent Synagogas, præfens quam doctus cognovi. *Quod Doctores quoque celebris doctrinae* (quia perfectam eruditionem, vix aliquem cordatum sibi tribuere arbitror) *tanquam opinione elatos perstringunt*, prorsus contrarium esse verum constat, quia omnibus temporibus rudes, indocti & loquaces Ecclesiae Ministri, elatiores vel arrogantiores sunt verè doctis. Vnde proverbij loco illud usurpari solet: Quo doctior eo humanior & contra. Verendum autem est, ne sicuti vulpes, (ut rectè quidam de Ministris Fratrum Bohæmicorum scripsit) quæ caudam amiserat, cupiant omnes esse indoctos, ut ipsorum ignorantia minus animadvertatur. His etiam verbis contradicunt ijs, quæ pagina proximè præcedenti, de ijs præmiserunt, qui se se studijs doctrinae instruxerunt, & ideò Ecclesiae valde sunt utiles &c.

VIII. Conviciatores in Responsione sua expuunt, *Me veteratorie pervertere & calumniari id, quod ex ipsorum verbis notaveram, de exemplo CHRISTI, quod apud se discipulos suos, ad triennium retinuerit, & sic quoque apud ipsos juvenes, à Senioribus retineri & doceri &c.* At verò qui ea cum his confert, quæ in meo libello habentur, facile

## DE QUARTO CAPITE

perspiciet, me nihil veteratorie pervertere & calumniari, sed ostendere VValdensicos Seniores non cum ea, qua debebant prudentia, Christi & Apostolorum eius, in Confessionibus suis allegare testimonia, cum ab omnibus rectè institutis, probè intelligatur, quam ingens sit dissimilitudo, in illis singularibus ac summis, & in nostris vulgaribus exemplis, quæ non ita nude erant alleganda, & ad morem, Fratribus istis usitatum, accommodanda. Idem igitur declaravi discrimine immediatæ & mediatæ vocationis, cujus rationem propterea etiam esse habendam iudicavi, quod Anabaptistæ & Enthusiastæ, iisdem exemplis, spernendo media ad eruditionem perducentia, foedè abuti soleant. His subjecti disunctivam illam, absq̃z omni insolentia, cujus me evidenti malicia, Conviciatores animi sui impotentiam subinde prodentes insimulant: *Itaq̃z nec VValdenses illi nobis tale aliquid probabunt, cum miracula ista cum Apostolis, aut sanè cum discipulis eorum deserint: vel si probare volunt, ostendant nobis, qui triennio à Senioribus ipsorum informati, subito omnes omnium gentium linguas teneant? Sed esto quod non de miraculosa scientia locuti sint, num verò artes Logicas, Dialecticam & Rhetoricam eludendo, hunc in modum elabi ipsis licebit? Contendant, enim se exempla*  
*i. s. s. i.*

## NOTATIONES.

*inſtitutionis Apoſtolorum, intelligere ſimplici-  
 ter omninò de eo, quod communiter & uſitatè  
 fieri, apud multos & poteſt & ſolet, de ſtudio  
 nimirum & cura, qua iuvenes & diſcipuli à  
 Senioribus educantur, inſtituuntur, exercen-  
 tur, explorantur ſive per triennium, ſive de-  
 cennium, aut quotcunq; annos plures vel pau-  
 ciores hoc agatur. Hic igitur adhuc nondum  
 ad id, quod præcipuum eſt κενόμενον respon-  
 detur. Nam contextus libelli mei & verba,  
 tam præcedentia locum illum quam ſequentia,  
 oſtendunt hic agi, de illiteratis opificibus &  
 idiotis, ætate grandioribus, quos hîc vocant  
 iuvenes & diſcipulos, ſcilicet. De his pro-  
 bandum eſt iſtis, quod communiter & uſitatè,  
 apud multos fieri poſſit & ſoleat, ut à Seniori-  
 bus educantur, inſtituantur, exerceantur, ex-  
 plorentur ad Miniſterium, ſed ut poſtea etiam,  
 quando jam illo fungi debent, nihilominus illi  
 liberales & ſordidas artes, atq; politica nego-  
 tia tractent. Vnde quia hoc pacto, à ſtudijs  
 rerum graviffimarum abſtrahuntur, nunquam  
 ea eruditionis, & doctrinæ adminicula conſe-  
 quuntur, quæ tot ſacræ Scripturæ dictis, à Mi-  
 niſtris verbi divini requiruntur, præfertim cum  
 etiam è Senioribus aliqui ſint rudes, & cæci  
 cæcorum ductores ac informatores exiſtant.  
 Urgeo igitur adhuc, verba prioris ſcripti mei*

K 5

*Videant*

## DE QVARTO CAPITE

Videant *VV*aldenses & eorum similes, an cum verbo DEI congruat, & ex usu sit Ecclesiae, ut Idiota ad Ministerium vocentur, qualiscunq; postea nimis sera & intempestiva exploratio & informatio adhibeatur? Viderint ipsi, quomodo mechanicorum operum tractatorem simul, & Ministrum verbi agere conveniat & expediat?

IX. De stipendijs Ministrorum responsuri, Negant se id magni habere flagitij loco, accipere haec ab auditoribus, & his frui. Cur ergo vociferantur, privatim in angulis concionantes, & publicè hoc Confessionibus suis inserunt, haud æquum esse, ut Ministri pro labore decimas, mercedem aut stipendia accipiant, & eosdem alicubi avaros & Simoniacos, coram superioris & inferioris sortis hominibus pronunciant? Cur etiam paulo ante singulare exemplum D. Pauli, & verba Domini, quod beatus sit dare quàm accipere aliquid legando, contenderunt multo tutius & beatus esse, manibus proprijs laborando sibi victum quærere, quam stipendium accipere, pro docendi labore, qui longe plus hominis, vires, quàm durissimus corporis labor exhaurit, & spiritus tam animales quam vitales, propter animi intentiones continuas absorbit. Falsum autem est & illud, quod pretendunt, maxima & parte

## NOTATIONES.

parte Sacerdotibus, vel Parochis & quidē non tantū Pontificijs sed mei similibus etiam culpā esse ascribendā, quod non habeant stipendia, & ea ab auditoribus ipsorum non persolvantur. Quin verò vobis Fratrum Bohæmicorum Senioribus ac Præpositis, rectius hanc culpam esse ascribendam dixerimus, cum vobis ultrò conniventibus, & per Magistratus vobis addictos, ut par quidem erat, id non prohibentibus fiat, ut eiusmodi impij Pastores, quales hic describitis alantur, & alijs fidelibus Ministris, qui nostræ sunt Confessionis, non locus relinquatur. Id quod Querela Ecclesiæ, adversus vos instituta edocet, Num. 38. his verbis: Domini eorum sub Collaturis suis alunt, pro Ministris helluones impios, perversos doctrina, vita & moribus: bonosq; pios & fideles doctrina & moribus pellunt, nec eis locum dant. Cur? Primum, ut ipsi potiantur bonis Ecclesiasticis, & quantum volunt, tantum tribuant istis nebulonibus. Deinde, ut, inquiunt, eo plures in Synagogam eorum se conferant & recipiant. Sed plures eo decipiuntur. Nam hoc genus hominum superstitionibus gaudet, & ita isti sunt pestes Ecclesiæ & religionis. Et tamen cum ista vident Fratres, nec corrigunt, nec monent suos Dominos, ne id faciant, sed adhuc me Ecclesiam derident, inquietes: Quales habet Ministros, egregios Pastores &  
Sed

## DE QVARTO CAPITE

Sed cur vos tales curatis, inducitis, fovetis per  
vestrum Magistratum? Cur locum p̄hs &  
sanctis non datis? Vindex erit horum Do-  
minus.

X. Hypocrisin Ministrorum VVal-  
denficorum, qui se non exigere stipendia, sed  
gratis docere prætendunt, jam alij pluribus de-  
reterunt & refutarunt. Idem ex Tractatu de  
stipendijs, in media propemodum Bohœmia  
conscripto constat, sicut etiam ex verbis D.  
Auerbecij, quibus causas, ob quas ipsi haud  
abs re Monachi Evangelici habeantur, expo-  
suit. Hi igitur & plurimi præterea testes esse  
possunt eius, *Quod hypocrisi hætenus sua de-  
mentaverint homines, eos imprimis, qui nostris  
erant addicti Ecclesis, cujus rei causa, me tan-  
quam miserum & infelicem, ad tribunal Chri-  
sti citant, nisi resipiscam.* Agnosco autem cor-  
ram DEO quidem, & unicè deploro miseri-  
am meam, & propterea toto pectore ad mise-  
ricordiam eius, fide in Filium Mediatorem,  
perpetuò confugio, & in cœteris oro, ut vir-  
tus eius in mea infirmitate perficiatur. At ve-  
rò ipsorum causa miser & infelix non ero,  
quando ea, quæ amor veritatis, mandatum  
DEI, Ecclesiæ ædificatio, adeoq̄ officij mei ra-  
tio requirebat præstiti, absq̄ damnationis a-  
cerbitate, & graviore nota blasphemix, cuius  
tamen me idem cum orthodoxis sentientem  
& lo

## NOTATIONES.

& loquentem, non sine atrocissima injuria in  
simulare ausi sunt, ut Notat. V I. de primo ca-  
pite discrepantiæ supra assignatum est. Con-  
tra viderint hi Antagonistæ mei, quomodo ante  
tribunal Christi, ut miseri & infelices confi-  
stant, quando reddenda ipsis erit ratio, cur non  
quod postulabat mediata ipsorum vocatio, in-  
tra limites suos se continuerint, & non sine mul-  
tiplici injuria & peccato erga Ecclesias ortho-  
doxas admisso, in privatis ædibus & angulis,  
concionati sint, ijs in locis, in quibus publicè  
verbum DEI purè prædicabatur? Cur alio-  
rum levia errata exaggeraverint, sua verò mul-  
to majora, ne quidem animadverterint? Cur  
principales Christianæ doctrinæ locos, ab a-  
lijs & à me ostensos, in publicis Confessionibus,  
corruptelis suis involuerint vel obscura-  
verint, & ea de quibus candidè admoniti sunt,  
candidè accipere & corrigere noluerint, sed  
monitores contumelijs insuper exceperint?  
Cur erga Ministros suos coniuges valdè ini-  
quos se præbuerint? Cur Schisma pio consensu  
sui, propter pauca quædam, quæ ipsis displic-  
ebant, obstinatè prætulerint, licet Ecclesiam  
in hac vita, sine erratis & defectibus esse non  
posse scirent? Nonne verò & ipsi ad Tribu-  
nal DEI citantur, in Querela Ecclesiæ suppli-  
ci, adversus ipsos, ob causas 4. instituta, ubi  
Num. 15. post alia hypocrisis ipsorum de dec-  
imis, quas se quærere negant, pluribus exprimi-  
mitur,

## DE QUARTO CAPITE

mitur, & quomodo respondeant Pseudo-  
apostolis & Monachis, qui se gratis docere  
factabant, ostenditur. Ibidem de Ministris &  
excursoribus eorum, de quibus in hoc capite  
agitur, hæc brevioribus subiiciuntur Num. 17.  
Pueros suos Bubulcos, subulcos, opiliones,  
textores. jejunos & vix lectitare scientes, cum  
Pistillis ( Postillis dictura ) mittunt, ut concit-  
onentur plebi: Interim doctus Minister, vix  
habet cui prædicet. Hinc gloriantur, se ha-  
bere suos subulcos tam doctos, ut possint mi-  
nistrare plebi verbo divino, & ora claudere  
Ministris. Hæc ne est ædificatio? Tu iudica-  
bis Iudex iustissime.

XI. Turpes admodum sunt nugæ,  
quibus Respondentes me in vicinia ipsorum  
tunc Pastorem agentem, *ex sola sepultura, &  
baptismi administratione, plurimum pecunie  
corrasisse, magna cum malicia fingunt.* Quod  
igitur ad sepulturam attinet, quomodo potui  
ex illis tantos, quales narrant, habere redditus,  
cum nequaquam ex omnibus, & ne quidem  
maioribus, vt vocabant, funeribus, sed tan-  
tum ex aliquibus, qui tunc in cœmiterio tem-  
pli, intra mœnia vrbis sepeliebantur, certi ali-  
quid ex iusta Magistratus constitutione acce-  
perim. Sed fortè quantum ipsi bonorum &  
pecuniarum à morituris, & Testamenta condi-  
turis corradunt, tantum me ex funeribus acce-  
pisse



## NOTATIONES.

piſſe ſomniant. Qua de re ſupplex Eccleſiæ  
Querela legi poteſt Num. 15. Ex Baptiſmo  
autem quem ipſi fatentur, à me non commu-  
niter adminiſtrari ſolitum, quid potui corrade-  
re, cum toto illo duodecim annorum ſpacio,  
quo Eccleſiæ eius Urbis præfui, vix duode-  
cim infantibus baptiſaverim, & intra eos duos  
Anabaptiſticos, natu maiores, unum quidem  
XXI, alterum verò VII. annorum, quorum  
utriq; gratis ſacram hanc præſtiti operam.  
Hinc igitur ruruſ colligere licet, quanta non  
ſolum invidentia, ſed & vaniloquentia, in his  
Reſpondentibus concurrat, qua quicquid à  
delatoribus arripuerunt, proferre auſi ſunt, ut  
me alijs exolum redderent. Sed eſto quod non  
ſolum ego, verum etiam mei in iſto loco ſuc-  
ceſſores, & aliarum Eccleſiarum noſtrarum  
Doctores huiusmodi vel maiores aliquando  
habeant reditus, num propterea ipſi adeo ſunt  
amentes, ut putent juſtum & æquum fore, ut  
ſimiles etiam conferantur, Miniſtris aut excur-  
ſoribus ipſorum, bubulcis, ſubulcis, opilioni-  
bus, textoribus, vix lectitare ſcientibus? Non  
ne illis qui plus laborum & vigiliarum, non ſi-  
ne valetudinis ſuæ evidenti & virium jactura,  
in diſcendo & docendo inde à teneris, ad gran-  
diorem uſq; ætatem ſuſtinuerunt, & ſumptus  
maximos ad ſtudia, & apparatus librorum  
comparandum impenderunt, plus omni iure  
ſtipendiũ ſolvendum, & majus præmium con-  
feren-

## DE QVARTO CAPITE

ferendum erit, quam rudibus crassis & jejunis illis idiotis, qui non ingenuis & sacris, sed illiberalibus, profanis & sordidis artibus atq̃ rebus, à puero dediti fuerunt, adeoq̃ nec literas, quod dicitur, nec natare norunt? An verò supputatores isti alienorum redituum evertere volunt, divinitus sancitam, in quarto Decalogi præcepto Iustitiam distributivam, quæ proportionem Geometricam discernit gradus personarum, & officiorum in vita, & singulis convenientem locum, honorem, conveniens munus, & præmium eius attribuit? Quod ubi non in vita communi observatur, confusorem & destructionem graduum, officiorum & præmiorum, non sine ingenti turbatione publica, introduci necesse erit.

XII. *Vehementer negant, ac ne semel quidem id factum à se fuisse contendunt, quod quibusdam proceribus & nobilibus, fuerint incitamento, ut Ecclesiarum Augustanæ Confessionis Pastoribus, se præberent difficili-ores & iniquiores, eoq̃ audacius decimas, ut nominant, & bona Ecclesiastica ad se raperent. Cum igitur hîc iterum, ut in alijs plerisq̃ confugiant ad alexipharmacum malefactorum, ego etiam rursus oppono, & urgeo testimonia fide digna, qualia eaq̃ proluxa habentur, in Tractatu de decimis, aut Stipendijs Ministrorum, à Bohæmicis Pastoribus, inter ipsos scripto*

pro

## NOTATIONES.

pto & approbato, quem aliquoties citavi, & qui per occasionem edi poterit. Eadem in scriptis D. Auerbecen, qui satis diu inter ipsos vixit, & singula rectius perspecta habuit, inter alia his verbis exprimuntur: Vt Generosos & Nobiles in sua potestate retineant, concedunt ipsis, vt bona Ecclesiastica ad se rapiant, & sceleratis impijs, & indoctis Sacerdotibus, suas parochias committant, qui sua officia, ex ignavia deserentes, & contra omnem pietatem, in functionem Ecclesiasticam inuolantes, exigua parte honorum, DEO & Ministerio consecratorum, contenti sunt, modo turpissimo ocio frui, & reverendi domini appellari possint. Ejusmodi Ecclesiae devastatores, tandem falsa doctrina, & malis exemplis, sibi commissum populum, miserè in æternam damnationem præcipitant, cuius damnationis, & Fratres & Collatores se participes reddunt. Magistratus enim non tantum in suis privatis ædibus, purum DEI cultum promovere debet, sed tanquam publica persona præcipuè in publico templo, ut suo exemplo etiam subditos, sibi à DEO concreditos, lucrifacere possit. Est enim utriusq; tabulæ custos, & ideo jus collocandi Pastores in Parochias accepit ut DEO rationem reddat, qualem Pastorem, sibi concreditis Christi membris præfecerit. Similia quæ ex Querela Ecclesiae supplici, contra hos Fratres legis Christi (quales nominat seiplos) poterant addi, brevitatis studio nunc omitto.

L

XIII. Subj

## DE QUARTO CAPITE

XIII. Subijciunt, Quod de Baronibus, & Nobilitate istarum regionum, scripserim contumeliose, ubi de rapinis & Harpibus bonorum Ecclesiasticorum, quaedam recensui. Hic verò cordatus Lector, ad crimina falli, in Responsione VValdensica, callidè & veteratorie commissa attendat. Nam in priore meo scripto, in utroq; loco, ex quo ista mutilatè excerpta sunt, nequaquam ita nudè & in univèrsam vel Barones, vel Nobilitatem, sicut nec Civitates nominavi, in quibus illa fieri deprehenduntur, sed saltem particulari sum usus locutione. Vnde tantum ad conciliandam mihi invidiam & pericula, de suo malevoli Respondentes hoc adjuunt, quod sine distinctione ulla, de Dominis harum regionum contumeliose scribam. Quin verò etiam constat, non tam Magistratus aut Dominos, quam Præfectos atq; Quæstores, ab illis constitutos, (qui & ipsi quandoq; inter proceres & nobiles accensentur) sæpè in seipsis & invitis Dominis, gravius in his delinquere. Qua de re inserere libet similem, ad quam tunc, cum scriberem ista, respexi D. Lutheri Querelam, super cap. 31. Gen. quæ sic habet inter alia: In hac & alijs ditionibus, plurimæ Harpyiæ sunt, præfecti nimirum & Quæstores, quorum tanta invidiâ & malignitas est, ut ea quæ larga manu Principis collata sunt, ad sustentandos Ministros Eccles

## NOTATIONES.

Ecclesiae, ægerrimè ex ipsorum manibus extor-  
quere possis. Ita simpliciter de spolio vivis-  
mus, non nostræ cupiditatis, sed divinæ cle-  
mentiae & liberalitatis, qui mirabiliter rapit ex  
manibus Harpyiarum, ut conserventur Eccles-  
siae & Scholæ. Hæc Lutherus. Cur igitur ea,  
quæ in genere à me de exemplo aliorum or-  
thodoxorum dicta sunt, Antagonistæ ad spe-  
ciem, tanta malicia restringunt? Aliud cri-  
men falsi est, quod addunt, *Me profiteri, quod  
horum oculatus sum testis*, cum tamen aliorum  
respectu, qui inter ipsos habitant, aut vicini  
sunt, eaq; omnia præsentibus cognoscunt, id enun-  
ciavimus. Sic de altero loco, eiusdem con-  
textus ostendit, me non in specie, aliquem or-  
dinem hominum perstringere, sed in genere  
iterum loqui de ijs, cujuscunq; sint ordinis, qui  
hypocriti, & imposturis Ministrorum VVale-  
densicorum, relinquunt locum, & se ad ea, quæ  
hîc recensentur, incitari sinunt. Communis  
autem illa est, & agitata omnibus temporibus  
querela, sicut præter Lutheri dictum, in Tra-  
ctatu nuper citato, testimonia & exempla, non  
tantum de rapinis Ecclesiasticis, sed & malis  
fatalibus, inde consecutis, videri possunt, quem-  
admodum ex sacris literis, & alijs scriptoribus  
collecta sunt. Quod autem Respondentes addunt,  
*Sibi non culpam istorum ascribendam, multo  
verò minus ipsorum ministros, authores huius*

## DE QUINTO CAPITE

rei, cuiquam unquam fuisse, aut causam eius  
ullam ulli hominum attulisse: in eo rem se ap-  
liter habere, idem Tractatus abundè testatur.  
Non igitur me solum, sed præter alios eius  
etiam authores, & approbatores Ministros  
verbi, pios & doctos, adeoq; fide dignos, si-  
cut & D. Auerbeccium, qui ut testis oculatus  
de eo scripsit, contumeliosis insectationibus  
his virulentissimè proscindunt, Quod injustissi-  
mè id ipsis ascribant, & injuriam faciant ipsis  
impudentissimè, cuius falsi pudere eos, coram  
DEO & hominibus perpetuò debeat, si modo  
ullus in ipsis timor DEI esset, vel omninò vere-  
cundia & pudoris aliquid. Nam tantam tot  
criminationum, & contumeliarum congeri-  
em, rursus in hoc capite evomunt, ne aliquod  
in ipsorum Responsione habeatur, ex quo non  
quanta hypocrisis alias patientiam & lenitatem  
simulent, depræhendatur. Vnde quidam de  
his Conviciatoribus VValdensicis, haud abs-  
re scripsit, quod sint ulcera, qui cum à quopi-  
am monentur, aut repræhenduntur, omne su-  
um virus in eum effundunt, & totis viribus res-  
sistunt, in exilium detrudere, per suos Magi-  
stratus curant, bonis privant, & misere vel-  
xant.

XIV. Quod repetunt, ad munerum  
sacrorum functionem, adhiberi apud ipsos Mi-  
nistros.

## NOTATIONES.

*visiros idoneos*, id maxima ex parte esse falsum, nuper Notat. II. V. VI. de hoc capite ostensum est. Nollem autem meam vocacionem, eo le modo habere, ut ipsorum habet, qui à Senioribus solummodo huius societatis, non adhibita Ecclesia, & Magistratu fidei, ad Ministerium assumuntur. Quod si D. Luthero penitus perispectum fuisset, ab ipsis idiotas adhiberi, ac si indicassent, se Ecclesiam, aut loco Ecclesiae designatos, ipsumq; pium, ubi haberi potest, Magistratum, ab eorum nominatione, electione & vocatione excludere, haudquaquam vel ipse, vel discipuli eius, Theologi Vitebergenses, id approbassent. Num verò etiam seiplos non obtrudant, & priusquam missi sunt, excurrant atq; in angulis, aut privatis aedibus doceant, in his locis in quibus repurgatae sunt Ecclesiae, supra de 2. cap. discrepantiae constat.

XV. Coguntur vel inviti id faceri, quod ipsis à me de emissarijs & excursoribus ipsorum fuerat objectum, nisi quod opifices & idiotas, aetate iam magna ex parte grandiores, quorum opera utuntur, *subdole adolescentes & juvenes vocant*. Qua fronte etiam *populum, & auditores suos*, nominare possunt eos, qui iam antea legitimos aut ordinarios, eosq; orthodoxos habent Pastores suos: Nondum igitur hic, quod ad rem facit, respondent.

## DE QUARTO CAPITE

dent, cur nimirum metas vocationis mediatae, tot in locis hactenus transfuerint. Præterea quod non solum ante, sed & post scriptam, ad versus me Responsum suam, Iglaviensibus quibusdam, orthodoxæ congregationis desertoribus ( quorum hinc rursus mentionem faciunt ) quotannis temporibus certis, ad Synagogas, quas alibi habent, evocatis, Sacramenta administrarint, & quod aliquando etiam in ipsa urbe, in ædibus privatis id fecerint, supra Notat. I l. de cap. secundo discrepantiæ recens sui. Denique hinc intelligi potest, ipsos negare haud amplius posse, quod præcedentibus annis, frequentissime isthuc, quo non missi erant excurrere, in angulis verbum & Sacramenta administrare ausi fuerint. Ridicula autem & insulsa prorsus, allegatio est exempli istius, *Quo inter Germanos literis operam dantes, ad talem concionandi in pagis, & sacris administrandi exercitationem adhibeantur.* Nam diversa omnino in eo est ratio, qua Studiosis & Candidatis Theologiæ, minimè verò idiotis & opificibus id permittitur, non ut in alienam messem mittant falcem, & in contumeliam Ecclesiæ ac Ministerij ordinarij, cuiuscumque loci, verborum lenocinijs auditores ad se alliciant, utque causas perfidæ alicuius defectionis, ad alium, eumque segregatum coetum præbeant, sed solius exercitij & explorationis causa. Interim sicut



## NOTATIONES.

sicut à puero illi in sermonibus fidei, bonæq;  
doctrinæ (Apostolo id præcipiente) enutriti,  
eam sunt secuti: ita in eodem studio, majore  
deinceps cum assiduitate pergere, & perpetuò  
vertari jubentur. Vnde etiam post Examen,  
ad ordinationem non admittuntur, nisi fide di-  
gnas, legitimæ vocationis suæ literas afferant,  
ab Ecclesia & Magistratu certi loci, in quo uni-  
co in posterum, sacra studia perpetuò tractent,  
ac doceant, nec ad alios, illicita ratione ex-  
currant. Hæc igitur multiplici ratione discre-  
pare ab ijs, quæ ab excursoribus Fratrum Bo-  
hæmicorum committuntur, me vel non  
monente, omnes sani intel-  
ligunt.

## EX QUINTO CAPI- TE DISCREPANTIÆ, nempe ex locis de verbo DEI, & de Sacramentis inter se compa- ratis, Notati- ones.

**P**RIMA, Quod non minor aut  
tenuior, sed eadem verbi & Sacramento-  
rum sit dignitas, virtus & necessitas, in pri-  
ore meo scripto, contra negativam Antago-  
nistarum

## DE QUINTO CAPITE

nistarum probavi 1. E sacris Instrumenti veteris & novi, testimonijs atq; exemplis, quibus constat, inde ab initio in Ecclesia, simul verbum & Sacramenta, summa religione fuisse observata, quod pari gradu haberentur, & eiusdem authoritatis & precij essent. 2. Ex natura ipsorum Sacramentorum, & institutione, quæ ex ipso verbo divino, utpote omnipotentis DEI, aut CHRISTI Domini, mandato & promissione, quæ fide apprehendi debent, tota dependet. Nam cum promissio generalis sit, Fides in eam, & usus Sacramenti, applicant illam ad singulos credentes. 3. Ex interpretatione Augustini, quod sicut indivisa est, Verbi & Sacramenti connexio, ita etiam ratione dignitatis & virtutis, alterum altero non sit, vel majus vel uilius. 4. Ex fine Sacramentorum, vel effectu primario, ratione cuius, major efficaciam & consolationis Spiritus sancti gradus, sit in Sacramentis, quam in solo & nudo verbo, ubi ad tentationes, ad certamina conscientiarum, & ad agonem perventum est. Ad quem sanè modum, & ea qua incurrunt in oculos, plus movent animos, quàm quæ auribus percipiuntur. 5. Ex communi Ecclesiarum nostrarum, nempe Augustana Confessione, Augustini autoritatem, in eandem sententiam allegante. 6. Ex declarationibus D. Lutheri, quæ cæteris rationibus insertæ sunt. His addi poterat haud mediocris offensio, &

## NOTATIONES.

lio, & prophanum de Sacramentis iudicium, quod inde enascitur, quando viliora, minus efficacia, minusque necessaria, quam verbum aestimantur. Vnde non mirum est, si id admittatur, tandem contemptum & neglectum eorum, apud multos consequi &c.

II. His omnibus posthabitis, ut in reliquis, ita & in hoc capite, Respondentes odiosius contradicere pergunt. Regerunt enim, *Non in solo Sacramentorum usu, & nequaquam frequentissimo, omnia esse posita, & contra illos, qui ita sentiunt, verba quae à me citata sunt, Confessioni ipsorum inserta esse.* Quod si ita est, cur aperte ne nunc quidem fatentur, se illa Pontificis opposuisse, qui eius sunt sententiae & statuunt, Sacramenta conferre gratiam, ex opere operato, sine bono motu utentis. Inter eos certe, qui Evangelij doctrinam profitentur, & de ea recte instituti sunt, non reperientur, qui sola tantum Sacramenta quaerant, neglecto omnino DEI verbo, & ideo propter eos inculcari non opus fuerat. Quemadmodum autem hoc extremum, nobis vitandum esse scimus, ita & ab altero omnino est cavendum, ne minus quam par est, contra praescriptum verbi divini, Sacramentis tribuamus, quod videlicet solummodo, eiusmodi res aut actiones sint externae, per quas nec fides, nec salus conferatur, sicut deinceps in hac Fratrum

## DE QUINTO CAPITE

Bohæmicorum Responsione, de disertis illius  
verbis cognoscere licebit. Ibidem sicut & in  
ijs, quæ mox subiiciuntur, quomodo divul-  
lant aut distrahant, verbum DEI & Sacra-  
menta, ostendendum est.

III. *Verbum ideò pluris faciendum  
esse quam Sacramenta contendunt, quia DEVS  
hoc sæpius & ante omnia audiri voluerit, &  
propterea festos dies instituerit. At verò non  
ne in eodem verbo, & cum cæteris religionis  
Articulis, simul doctrinam de Sacramentis  
proponi, eorumq; salutarem fructum declara-  
ri & exerceri voluit, etiamsi non semper ac tot  
ties, externus eorum usus adhibitus fuit? Ad-  
dunt de exemplo CHRISTI Domini,  
Quod præconium verbi diligentissimè admini-  
straverit, & multò antea docuerit, quàm Cæ-  
nam sacram instituerit. Cogitandum autem  
ipsis erat, hîc non solum de Cœna Domini ser-  
monem esse, sed etiam de Circumcisione, & qui  
in eius locum surrogatus est Baptismo, sicut  
tunc utrumq; tam profestis quàm sabbathi die-  
bus, in frequenti usu fuit, præter id quod idem  
Dominus, sacram Cœnam sic instituit, ut &  
ipsa sæpius celebretur. De discipulis quoq;  
CHRISTI subiiciunt, Quod eos in orbem  
terrarum miserit, cum his præcipuè mandatis,  
ut docerent & prædicarent Evangelium, quod  
& ipsi*

## NOTATIONES.

¶ *ipsi fecerint fideliter.* Qua verò temeritate, alteram functionis Apostolorum partem omittunt, de administrandis Sacramentis, nempe de Baptismo, & sic quoque de Coena sacra, quæ pars disertis verbis à CHRISTO eidem simul mox est adjuncta. Eadem fide subiungunt hoc: *An verò ideò extenuari dicemus Sacramenta, quod præconium verbi sæpius fiat & exerceatur.* Non enim hic de eo agitur, Vtrum sæpius fiat & exerceatur, sed illud est *κρίσις*: Num prædicatio verbi, dignitatis, virtutis & necessitatis ratione, administrationi Sacramentorum sit anteferenda. Id nimirum est quod admitti nequit, & quo non tantum extenuationi, sed & profano contemptui Sacramentorum fenestra aperitur.

IV. Scribunt: *Si in corde quopiam veritas & fides, atque ea omnia, quæ usum Sacramentorum præcedere debent non insint, nec Sacramenta commodare quicquam, quando hoc ipsum, quod confirmandum eis fuerat, non reperiunt.* Sed nec hoc modo probabunt, Verbum dignitate, virtute & necessitate præferendum esse Sacramentis. Nam etsi quæ usum illorum præcedere debent, sine prædicatione verbi, non insint in corde quopiam, quantum ad ultimos spectat: tamen propterea verbum pluris nondum faciendum, sed Sacramentum æquè est sublimè,

me,

## DE QUINTO CAPITE

me, dignum & utile, cum alterum alteri per  
petuò includatur, & non possit aliquod, verè  
ac propriè dici Sacramentum, cujus Elementum,  
mandatum & promissio, sicut & tota actio,  
non sit verbo comprehensa. Quod etiam  
hic urgent, *Non prodesse sigillum impressum  
vel appensum, diplomati vacuo, in quo nulla li-  
ta scripta sit,* nos contra, & per inversionem  
potius dicimus: Diploma aut literas scriptas  
non valere, nisi sigillum impressum & appen-  
sum habeant. Hinc nuper præmissum est, Ver-  
bum aut promissionem generalem esse: Fidem  
autem & usum Sacramenti, applicare ad singu-  
los credentes. Item, Majorem efficaciam &  
consolationem, ex Sacramentis, quam ex solo  
& nudo verbo pendere. Haud obicure autem  
sequentibus verbis indicant, se respicere ad eos,  
qui iam sint adulti, utpote qui suo loco & tem-  
pore conversi, per prædicationem Evangelij,  
ex ea fidem consequantur, ut hoc modo etiam  
Sacramentum, fructum proprium, atq; effica-  
citatem suam præstet. Hanc verò nondum,  
de infantibus ita accipi debere sentiunt, siqui-  
dem hos non censent, per Baptismum regenerari,  
& fidem consequi, cum rationis non sint  
capaces, & prædicationem Evangelij audire  
nequeant, sed statuunt suo tandem tempore,  
ubi ad adultiorem ætatem pervenerint, per Mi-  
nisterium verbi, ad fidem perducere, ut postea se-  
quetur.

V. Res

## NOTATIONES.

V. Respondentes dicto Apostoli abus  
rentes, temerè contra meam asseverationem ar  
gumentantur, hunc in modum; Circumcisio pñs  
quidem Iudæis sub lege profuit, impñs verò  
obfuit: Ergò Ministerium verbi sublimius est  
& maius, magisq; ad salutem necessarium,  
quàm Sacramentum. Vel Baptismus in novo  
Testamento, surrogatus Circumcisioni, veris  
Christianis prodest, falsis obest: Ergò veru  
bum dignitate sua, Sacramento est præferen  
dum. At verò nonne etiam hunc in modum  
de ipsius verbi prædicatione argumentari li  
cet: Ministerium verbi veris quidem Christis  
anis prodest, falsis verò obest, Ergò Sacra  
mentum est præferendum Euangelio. Idem  
est iudicium de exemplis, quæ adijciunt. Nam  
pleriq; illorum ex populo Israelitico, quos non  
approbavit DEVS, & qui prostrati sunt in de  
serto, non solum circumcisi, sed etiam verbo  
edocti erant, & tamen sicut circumcisio, ita nec  
verbū eis utile & salutare fuit, ut alterum alteri  
propterea præferri possit. Simili ratione Si  
moni Mago, non solum Baptismus, sed etiam  
prædicatio Euangelij, minimè contulit salu  
tem: Nequaquam igitur ratione utilitatis, vel  
efficaciæ, ex huiusmodi dictis & exemplis, vel  
verbum Sacramento, vel Sacramentum ver  
bo, maius & præstantius censeri potest.

VI. Scrib

## DE QUINTO CAPITE

VI Scribunt: *Non aliter etiam sonat institutio CHRISTI, Qui crediderit, (inquit Dominus) & baptisatus fuerit, servabitur: neq; rursus, Qui non fuerit baptisatus, condemnabitur: sed conjuncto primum utroq; Qui & crediderit, & baptisatus fuerit, servabitur: addit postea, Qui verò non crediderit, (quasi dicat, Etiam si externo modo baptisatus fuerit) condemnabitur.* Ex his rursus nondum probant, prædicationem verbi digniorem & utiliorem esse Baptismo, Nam etsi in altero horum verborum membro, non utrumque coniungitur, ut in priore, sed omisso Baptismo, tantum dicitur: *Qui verò non crediderit, condemnabitur:* tamen hinc nondum sequitur, quod Baptismus tenuior aut abiectior sit verbo, sed de casu necessitatis accipiendum est, ratione cuius nondum damnantur, qui Baptismo carere coguntur. Nam sicut Augustinus contra Donatistas l. b. 4. habet, *Tunc impletur Baptismus, cum non contemptus Religionis, sed articulus Necessitatis, à visibili Baptismo excludit.* Notandum verò & hoc est, quod frustra urgeant illud, quasi velimus etiam sine fide, sola Sacramenta ad salutem æternam sufficere, ubi habent: *Non dicit tantum qui baptisatus &c.* Deinde videndum erit Respondentibus, qua ratione glossa ipsorum  
in pa/



## NOTATIONES.

in parenthesi posita, cū veritate orthodoxa cōsentiatur: *Qui verò non crediderit (quasi dicat, Etiam si externo modo baptisatus fuerit) condemnabitur.* Nonne verò & illud à CHRISTO, de necessario ad salutem Baptismi usu, verbis gravissimis est enunciatum Ioh. 3. v. 5. Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum DEI. Ordinario igitur modo, non seorsim aut segregatus & divulsus à Baptismo, sed cum illo & per illum Spiritus sanctus regenerationem & salutem operatur. Viderint igitur Antagonistæ, num ea qua hic de Baptismo loquuntur ratione, operationem divinam, & hoc Sacramentum inter se individuo nexu copulata non divellant, & an sic extenuantes Baptismum, Suenckfeldianismum & Anabaptismum effugere possint, quando contendere pergunt, per externa & visibilia media, qualia cū verbo sunt Sacramenta, fidem regenerationem & salutem non conferri.

VII. Dicta Lutheri quæ hoc loco obijciunt, è scripto ad ipsos missio, quod videlicet *plus situm sit in verbo, quàm in Sacramento &c.* eorum temporis, quo vix è Papatu emerferat, opposuit operi operato Pontificiorum, qui sine fide & sine bono motu utentis, Sacramenta novi Testamenti justificare, & gratiam conferre

## DE QUINTO CAPITE

ferre fingunt. Huiusmodi igitur scœdum erro-  
rem, cum Apologia Confessionis nostræ, con-  
stanter damnamus, & simpliciter Iudaicam opi-  
nionem esse sentimus, quod per ceremoniam  
iustificemur, sine bono motu cordis, hoc est, sine  
fide. Nā minimè censemus, hominem propter  
opus ipsum Baptismi, sive is credat, sive nō cre-  
dat, emundationē à peccatis, & salutem conse-  
qui, sed ideò quia DEVS per lavacrum a-  
quæ in verbo, ut per lavacrum regenerationis,  
in corde hominis largitur & excitat fidem, e-  
mundat à peccatis, & salutem confert, hoc  
modo eam amplectentibus. Ad eadem dicta  
Lutheri, quæ temerè hic Respondentes obijci-  
unt & inculcant, pluribus ex ipso Luthero re-  
spondere possem, nisi brevitatis ratio habenda  
esset, & priori scripto ex Tomo 3. Ienensi, ubi  
XX. caput Iesaiæ tractat, verba eius de exteri-  
nis, ad salutem conducentibus antea inseruis-  
sem. His quoq; ea adjungo, quæ graviter ab  
iplo, in Majore & Minore Catechismo, de  
Baptismo & Cœna Domini, in eandem senten-  
tiam asseverantur. His ergò quamvis Anta-  
gonistæ non possint contradicere, tamen ut  
simplicioribus imponant, & veritatem in meo  
libello ostensam, quam refellere nequeunt, sal-  
tem suspectam reddant & obscurent, huius-  
modi dictis ad rem non facientibus, me oppu-  
gnant.

VIII. Ne

## NOTATIONES.

VIII. Ne Responsio VValdensica in hoc quoq; capite, contumeliosis inlectationibus careat, præter id quod meam Examinationem maliciæ & maledicentiæ, odio veritatis de ipsis detectæ insimulant, *ludunt cognomine meo, & rixosū me appellāt*, propterea quod corruptelas & locutiones, ab orthodoxa veritate alienas, in Cōfessionibus ipsorum notaverim. Sed cum idem Prophetis Iehovæ acciderit ab impijs, quibus ob verbum veritatis, molestum ipsis, maximè exosi, & viri rixarum, habiti fuerunt, non mihi etiam insolitum videri debet. Nonne verò ratione simili, nunc ludere & ego poteram, Seniores VValdensicos Segniores, & Responsonem ipsorum nefariam, non verò necessariam appellando &c. Intelligentes etiam hic facilè depræhendunt, quantæ sit perversitatis, quod manifestos errores, de mandato DEI refutantes, habent pro rixosis, & contra tacentes ad eosdem, ad deoq; vigiles cœcos, & canes mutos, censent pacificos. Addunt præterea calumniose, *Me multum hic inanium verborum, ineptissimè profundere, & quod me huc & illuc, circum circa versando & intorquendo, etiam mihi ipsi contraria manifestè loquar*. Iudicabunt candidi lectores deinceps, num ego vel ipsi, cum in alijs, tum in hoc capite,, eiusmodi ineptijs lusserim, vel anulogijs sim usus. Quin verò

M

10

## DE QUINTO CAPITE

rò ipsi præter rationes, quas afferunt, ineptissimas etiam in hoc capite, sibi contraria manifestò loquuntur, quando mox ab initio negant, à se extenuari Sacramenta, & tamen tot rationibus id ipsum importantibus, mecum adeò ostendiose pugnant. Sic pag. 138. disertè concludunt: Ergò & utilius est, & magis necessarium, verbi divini ministeriũ, quam Sacramenta. Item sequenti 139. Sacramentis verbi dignitatem se præferre enunciant.

**IX.** Inepta & futilis est & illa ratio, quã prioribus his verbis subiiciunt *Vnusquisque attentus & intelligens Lector* iudicare potest, cùm *Hedericus* dicat: *Semper verbo addita fuisse Sacramenta, nimirum igitur prius id esse, sive potius, cui additur quippiam aliud: istud verò posterius quod additur.* Etenim nuper ostensum est, individuã esse verbi & Sacramenti connexionem, & ita licet non mox explicitè cum verbo, sive prima de Messia promissione, sit hoc alterum expressum, sed paulò post additum: tamen implicitè sub eo semper, summa venturi Liberatoris, & contritoris serpentis beneficia, generi humano conferenda, per eum, compræhensa & inclusa fuerunt. Nec verò etiam id quod prius est, perpetuò potius eo, quod est posterius, censeri potest & debet. Sic mendacium Sathanæ, priusquam lapsi sunt parentes primi, præcessit quidem promulgationem

## NOTATIONES.

tionem Euangelij, & tamen haudquaquam propterea illud huic est præferendum. Addo tamen & hoc, quod mendacio illo, promissio posterior sit, tantum revelatione, non vero diviniratione decreti, cuius respectu mysterium æternum ab Apostolo nominatur. Quod si id quoque potius censendum est, quod prius est, Apostolicæ prædicationi & propagationi Euangelij, religio quæ præcessit præferenda erit. Sic Ecclesia & Religio Pontificia cum prior fuerit, segregata Fratrum Bohæmicorum societate omnino potior censenda erit &c.

X. Nullius momenti est & illa sophistica, quod ubi cū Augustino & Luthero dico, *Sine verbo, si hoc detrahatur Baptismo, non fore aliud nisi ipsam aquam*: hinc nimirum, præter meam, vel potius istorum Ecclesiæ luminarium mentem inferunt: *Ergo & utilius est, & magis necessarium verbi divini Ministerium, quàm Sacramenta*. Sed cur fallaciam compositionis & divisionis admittendo, non etiam cætera verba Augustini, & meam declarationem simul recensent, ex qua facile quam inepta sit eorum ratiocinatio, & quod mihi falso antilogias tribuant, colligere licet? Augustinus hinc & alibi omnino meam, de individuo nexu verbi, Sacramentis inclusi, sententiam, adeoque parem utriusque dignitatem, virtutem & necessitatem confirmat. Duas enim partes

M 2

Baptismi

## DE QUINTO CAPITE

Baptismi ponit, substantiales & principales, quarum si una tollatur, necesse sit & alteram, atq; ita totum Sacramentum, quod ipsi est verbum visibile, tolli & everti.

Tolle ex Sacramēto Baptismi  
Aquam } nō erit Baptismus, vel la-  
Verbum } vacuum regenerationis  
& renovationis Spiritus  
sancti, & vicissim &c.

XI. Respondentes volunt ex ipsa actione & ritibus, quibus in administratione Sacramentorum, in Ecclesiis & congregationibus suis utuntur, cognosci, an Sacramentum extenuent, & majoris ponderis ac dignitatis esse existiment. At verò quid certo statui potest, de pia & religiosa tractatione Baptismi apud ipsos, cum ad futuram fidem infantes jam pridem baptisandos censeant, & postea foedus in Baptismo semel initum cum DEO, tunc renovari velint, quando noviter conversos, ad fidem & societatem suam recipiunt? ut nihil interim addam, de inconvenienti obligatione compatrium, de qua in Bohoemica ipsorum Apologia videre licet. Quali etiam quamq; inani externa pompa, apud ipsos sacra Coena, non quidem saepius, aut singulis diebus Dominicis, ut fit in nostris (non sine decenti quoque religione & reverentia) Ecclesiis, sed quater in anno, in Synagogis ipsorum, palam celebratur.

bre)

## NOTATIONES.

breitur, supra secundo capite discrepantiæ Notat, X I. inserui, & nunc non pluribus repeto.

XII. Lectoribus iudicium permittito de loco, quem ex Apologia sua, Vitebergæ edita subiiciunt, num videlicet hinc satis constare possit, ipsos nunquam extenuasse Sacramenta, neq; cum Suenckfeldianis, nec ullis Anabaptistis, aut horum similibus, ullos errores habere communes, etiamsi verbi dignitatem his præferant, & principalem finem ipsis detrahant, ut sequenti capite patebit. Quod si verè & constanter id sentirent, sine Sacramentis salutem fieri non posse, revocandæ & abolendæ ab ipsis essent, contrariæ locutiones, quibus subindè claudicantes alibi & in hac Responsione utuntur, quando contendunt, Sacramenta Spiritum sanctum, fidem, iusticiam, vitam, & salutem, cum verbo prædicato non conferre. Quod igitur dant una, auferunt altera manu, & incogitantes ludunt antilogijs, quod mihi falsò impurant. Quomodo igitur his, de quo exostulant mecum, acquiescere potui, cum sibi ipsis non in istis consentent? Notandum verò & illud erit, Respondentes de industria hic omittere mentionem Sacramentariorum, quos ego simul cum Suenckfeldianis & Anabaptistis, à capitis huius initio (quod ipsi in fine eiusdem hic pestrungunt) nominaveram. Idem enim cum Sacramentarijs, in

## DE QUINTO CAPITE

hoc genere doctrinæ sentiunt, quod tamen nusquam ingenuè & apertè fateri volunt. Sunt quidem aut fuerunt his annis, è Senioribus VValdensicis, inter Bohæmos, qui noluerunt haberi pro Sacramentarijs sive Calvinianis, sed illi propriam Confessionem suam, illis consentientem, ignorarunt, vel eam nondum rectè intellexerunt & assecuti sunt, sicut D. Auerbecius haud abs re ipsis obiecit, ut nihil dicam de D. Marcello Squarcialupo, qui cum apud Trebicenses versaretur, in eandem sententiam de ipsis ad me, etiam ante editionem prioris mei libelli scribebat. Idem nobilis quidam Polonus, in Apologia VValdensium nomine publicè edita, contra Herbestum Canonicum, de ipsorum Confessione testatus est. Nihil addo tam de alijs, quàm de Autore supplementi Calviniani, qui superioribus annis Theonino dense me impetijt, & idem de Confessione Fratrum Bohæmicorum prolixè demonstravit. Vnde Fratres isti qui in Bohæmia habitant, si quando dissident ab ijs, qui in Polonia sedem fixerunt, meritò & ipsi dissensionis arguuntur, cujus alioqui causa nos subindè suggillare consueverunt, ut supra ostensum est.

EX



## NOTATIONES.

### EX SEXTO CAPI- TE DISCREPANTIÆ, nempe ex loco de Sacramentis in genere, & eorum fine, atq; effectu principali, Notati- ones.

**P**RIMA, In Confessione Fra-  
trum Bohæmicorum, principalem Sa-  
cramentorum finem aut effectum, non  
solū omitti, sed etiam in loco de Sacramentis,  
in genere pernegari, in priore meo scripto ostē-  
di. Is effectus est, quod Sacramēta sint eiusmodi  
media, per quæ ipse DEVS, ad æternam salu-  
tem efficacax est, Spiritum sanctum largitur, ju-  
stitiam, remissionem peccatorum, & æterna  
beneficia, propter CHRISTVM promif-  
sa, credentibus benignissimè offert, verè illa ex-  
hibet atq; applicat. Testimonia sacra, quibus  
ille exprimitur, de Baptismo haberi constat  
Ioh. 3. v. 5. Marci 16. v. 16. Tit. 3. v. 6.  
Ephes. 5. v. 26. Actorum 2. v. 38. De Cœ-  
na Domini idem exprimitur, in verbis institu-  
tionis Matth. 26. v. 27. & 28. Marci 14. v.  
22. & 24. Lucæ 22. v. 19. & 20. 1. Corint.  
10. v. 16. & capiti sequenti v. 24. & 25.  
&c. Ad hæc tot numero testimonia, nunc  
Antagonistæ respondent: *Quod Majores ipso-*

## DE SEXTO CAPITE

rum in sua ad Lutherum Responsione, manifestè se dissentire, & alienos esse ab istis professi sunt, qui Sacramentum Cœnæ solam esse commemorationem Cœnæ Domini existimant. Hinc satis imperiose exposcunt mecum, cur non mihi hæc sufficiant, quid præterea postulem, aut quæram amplius. At verò qua ratione potuerunt mihi vel alijs, veritatem inquirentibus satisfacere, hac prorsus generali sententia, qua principalem illum effectum, vel dissimularunt vel suppresserunt?

I I. Ne videantur eum penitus neglexisse, his verbis se illum designasse scribunt, *Quod fidei sumentis, porrigatur gratia apprehendenda, & quia citaveram, hoc addunt, Me manifestò contrarium affirmasse, atq; ita me ipsum mendacij convicisse.* Ut autem intelligatur, non me sed ipsos jure de mendacio iterum arguendos esse, notandum erit, quod ipsi ea quæ Sacramentis pluribus S. Scripturæ testimonijs, jam præmissis tribuuntur, non saltim oblique (ut fit in his verbis) sed & directè pernegare pergant. Id quod non solùm è Confessione V. Valo dēlica, sed etiam ex Responsione, adversus me edita videre licet, utpote ex glossa, verbis institutionis Baptismi, præcedenti capite pag. 135. adsuta ab ipsis, & ex rationibus, quæ de hoc capite deinceps, subiiciuntur. Cum verò hic dicunt, fidei sumentis porrigi gratiam, non volunt

lunt

## NOTATIONES.

hunc corpus & sanguinem CHRISTI in sacra Coena, quæ hic in terris celebratur adesse, nisi respectu fidei nostræ: id est, fidem nostram sentiunt per visibilia Symbola, perinde ut per verbum prædicatum, ( cuius ideò hic simul in verbis suæ Confessionis mentionem faciunt ) commonefieri & excitari, ut sese attollat, atq; omnes coelos transcendat. Qua ratione absens in caelo corpus CHRISTI, eiusq; sanguinem, per fidem spiritualiter, non autem ore sumi statuunt, sicut infra pluribus de his agendum erit.

III. *Alium finem, ratione cuius Sacramenta obfignationes dicuntur, autoritate Confessionis Augustanæ probant.* At verò nec de hoc, sed de altero illo, ut dictum est, principali effectu hic est quæstio. De eo Articulo V. eiusdem Confessionis sic habetur: Vt fidem consequamur, institutum est Ministerium docendi Evangelij, & porrigendi Sacramenta. Nam per verbum & Sacramenta, tanquam per instrumenta, donatur Spiritus sanctus, qui fidem efficit, ubi & quando visum est DEO, in ijs qui audiunt Evangelium &c. Et Articulo 9. de Baptismo docent, quod sit necessarius ad salutem, quodq; per Baptismum offeratur gratia DEI. Et in Apologia eiusdem Articuli: Nonus Articulus approbatus est, in quo confitemur, quod Baptismus sit necessarius ad salutem,

## DE SEXTO CAPITE

tem, & quod pueri sint baptizandi, & quod  
Baptismus puerorum non sit irritus, sed neces-  
sarius & efficax ad salutem. Item, Regnum  
CHRISTI tantum cum verbo & Sacra-  
mentis existit. Alia eiusdem sententiæ dicta,  
quæ in Apologia Articuli 12. & 13. ac præ-  
terea sub titulo, de usu Sacramenti & de Sacri-  
ficio habentur, brevitatis studio nunc omitto.  
Ad tot ergò adeoq̃ perspicua dicta, Respon-  
dentibus meis, ubi de fine illo principali quæ-  
stio incidit, attendendum, & ex illis, si ingenuè  
& candidè nostræ Confessionis autoritate uti  
voluissent, decernendum fuerat. Ipsi autem  
hæc non solum de industria negligunt, sed etiã  
discrepantia, vel potius è diametro cum illis  
pugnantia, ideoq̃ per meum latus eandẽ Con-  
fessionem oppugnantia proferunt, vt ex ratio-  
nibus quas subiiciunt, manifestum erit.

IV. Verba formalia ipsorum sic habent  
pag. 142. *Imò Apostolus ipse circumcisio-  
nem, veteris nimirum Testamenti Sacramen-  
tum, σφραγίδα appellavit. Neq̃ enim aliud  
quippiam fuisse Abrahamo circumcisionem,  
quam semini huius, intelligimus, neq̃ Hederi-  
cus contra Paulũ probauerit, quod circumcisio  
salutem, vt ipse ait, posteritati Abrahami con-  
tulerit: cum Paulus diserte doceat, etiam in-  
circumcisis manere præputium, qui circumci-  
sione non rectè vtuntur. Hæc Respondentes.*  
Quis

## NOTATIONES.

Quis autē vel mediocriter saltē, in doctrina cœlesti institutus, non videt, his verborum strophis, & quidem non sine versuta præcisione, ut in cæteris, ita & hoc capite adhibita, eos Circumcisioni, & ita nostris etiam in novo Testamento Sacramentis, audacter summum, æternæ salutis beneficiū detrahere. Hinc quoque non disertè, Circumcisionis internæ, in posteritate Abrahami mentionem faciunt, sive quo ad infantes, sive quo ad adultos, quia Articulo undecimo Confessionis suæ, expressè scribunt, *per Circumcisionem, fidem justificantem, ne utiquam conferri, Spiritum intrinsecus non vivificare, nec regenerare &c.* Rursus igitur ob signationem Sacramentis tantum tribuunt, cuius ratione Apostolus Circumcisionem *σφραγίδα* appellaverit, & ideò eam hunc usum, tam in Abrahamo quam posteris eius, excluso altero illo principali, habuisse contendunt. Ego autē adhuc cum orthodoxis statuo, quod quidē Circumcisio, in Abrahamo fuerit simplex ob signatio, illius justitiæ, quæ jam ipsi imputata fuerat: in posteritate verò eius, non ideò observandam fuisse, ut saltem ob signaret, sed cum posteris eius, ut omne genus hominum, in peccatis concepti & nati, destituerentur, illa justitia, usu beneficioq; huius Sacramenti factum esse, ut fierent eius participes, & salutem consequerentur. Quod obijciunt me  
aliud

## DE SEXTO CAPITE

aliud contra Paulum probare non posse, id quidem de Abrahamo sic ipsum statuere manifestum est, quod ante Circumcisionem fidem, & ex ea iustitiam sit consecutus, non autem de posteris eius hæc scribit, & ideo nec ipsi verbis eius evertere hoc possunt, quod simul propriam fidem, & cum ea salutem semini eius contulerit. Hinc D. Lutherus in eo scripto, quod ad Fratres Bohæmicos jam olim misit, refutans errorem ipsorum, de futura fide infantum, constanter affirmat, donari eis propriam fidem, ut sic verè baptisentur. Et subiicit: Cū idem donum, per Circumcisionem contigerit, parvulis Iudæorum, qui circumcidebantur octavo die, quare non fieret in Baptismo? alias CHRISTVS Matth. 19. non dixisset: Sinite parvulos venire ad me, ipsorum enim est regnum cælorum. Sine fide enim nemo accipit regnum cælorum. Et, si talis, nostra sententia posset everti, ut haud dubiè est invicta, malletm prorsus omitti baptismum parvulorum, quam eos sine fide baptisari. Neq̄ enim nomine sancto DEI abutendum est, etiamsi de totius mundi salute ageretur. His igitur contrarium, dum obstinate Respondentes vrgent, contra testimonium Apostoli, quo asserit nos natura esse filios iræ, sentiunt cum Sacramentarijs. ab ipso in vitam ingressu, salutis participes, & Sanctos ratione propagationis, Abrahami posteros iam fuisse, eoq̄ modo Circumcisionem

cisionem

## NOTATIONES.

cisionem, vt obſignationem illius acceſſiſſe,  
Vnde nec de Baptiſmo infantum hodie, aliud  
ipſos ſtatuerē, haud amplius obſcurum eſſe po-  
teſt. Quamobrem minime noſtrarum Eccle-  
ſiarum, ex Auguſtana Confeſſione ( cuius ta-  
men autoritate hactenus ſtare voluerunt ) ſen-  
tentiam nuper oſtenſam, ſed Calvinum ſequi  
maluerunt, qui cum alibi, tum in Inſtitutionibus  
fol. 868. aſſerit, Minime ſalutem poſteros  
Abrahæ per circumciſionem aſſecutos, ſed  
ideo quia hæreditario iure, ſecundum promiſ-  
ſionis formulam, jam à matris vtero, tanquam  
à pijs parentibus prognati, in fœdere continen-  
rentur.

V. Respondentes exiſtimant, *Me non  
probare poſſe, quod Circumciſio iuſtitiam &  
ſalutem, poſteritati Abrahami contulerit, quia  
Paulus diſertè doceat, etiam in Circumciſis  
manere præputium, qui Circumciſione non re-  
ctè vtantur.* Nonne verò hic ab ipſis, ſolutio  
obiectionis ſimul comprehenditur, quando  
annectunt, quod illi circumciſione non re-  
ctè ſint uſi. Id quod & ego, in priore ſcri-  
pto aſſignavi, & ideo nondum hinc, & ratione  
abusus ſequitur, quod Circumciſio in poſteri-  
tate Abrahami ſaltem obſignatio, & non ſi-  
mul collatio iuſtititiæ & ſalutis, fœdere ſpiritu-  
ali comprehenſæ fuerit, etiamſi hÿpocriſis, &  
idem abusus, in multis cauſa fuerit, quo minus  
& illis

## DE SEXTO CAPITE

& illis, promissa DEI gratia contingeret. Sic etiam Baptismus, de voluntate aut cōstitutione divina, nominatur & revera est lavacrum regenerationis, sive in baptisatis regeneratio efficaciter peragatur, sive per accidens, propter hypocrisin aliquorum baptisatorum impediatur. Idem ostendi de Evangelio, quod dicatur & sit potentia DEI, ad salutem omni credenti, etiam cum infidelibus proponatur, qui prædicati verbi, virtutem & operationem, non consequantur. Non enim dignitas & veritas Sacramentorū, sive à porrigentiū, sive à sumentiuū fide, vel incredulitate, dignitate vel indignitate dependet, sed ex eadem, de qua dictum est, cōstitutione & ordinatione divina. Qua de re D. Lutheri è Catechismo maiore sententiam, in qua Ecclesiæ, Confessioni nostræ addictæ acquiescunt, subjicere libet. Ea igitur sic habet: Quocirca nimium utiq; confidentes & crassi sunt spiritus illi, qui ita concludendo inferunt: Vbi fides non est, ibi nec Baptismus rectus esse potest, Quasi ita velim concludere, si fidem non habuero, sequitur CHRISTVM nihil esse, Aut sic, si maiorem iussis morem non gesserō, nec parentes nec magistratus quicquam sunt. Rectè ne an bene colligitur, ubi quis non facit, quod illi faciendum fuerat, propterea sequi, rem per se nihil esse aut valere? Quin potius argumentum inverte, atq; ita collige. Sane ob id ipsum Baptismus, quanti vis precij & rei



## NOTATIONES.

& rectus habendus est, quòd non rectè ab hominibus susceptus est. Si enim per se Baptismus rectus non esset, eo nullo modo possemus abuti, & abutendo delinquere. Abusus non tollit, sed confirmat substantiam, vulgò dici solet. Siquidem aurum nihilominus manet aurum, quantumvis illud meretricula, cum scelere & dedecore gestet, ac circumferat. His nunc & illud ex quinto, Confessionis nostræ Articulo adiicio: Per verbum & Sacramenta Spiritum sanctum fidem efficere, ubi & quando visum est DEO. Ipse enim liberrimè, & nonnulla Physica aut naturæ necessitate, per hæc media operatur, & semper quidem vi & potentia vivificandi instructus est, sed tamen non est necesse eum vivificare, ubi & quando ipsi non est visum, sicut de Epicuræis & hypocritis jam adultis manifestum est.

VI. Addunt Antagonistæ pag. 142. *Non fuisse illis opus CHRISTO, cum salutem ex Circumcisione haberent.* Hic admodum ineptè, ordinem causarum salutis nostræ distrahunt, aut divellunt, & non possunt aut volunt intelligere, CHRISTVM quidem esse salutis nostræ authorem, sed tamen eundem agere cum salvandis, per media à se ordinata, ad quæ seipsum liberè alligavit, & à quibus ipse nequaquam est segregandus. Nam sicut in nomine eius divino peraguntur: ita revera DEI vel CHRISTI ipsius opera, censentur.

## DE SEXTO CAPITE

consentur & habentur, licet ab hominibus ad-  
ministrantur. Quanquam igitur per & pro-  
pter CHRISTVM, Patribus promissum,  
posterorum, qui circumcidebantur, salutem  
consecuti sunt, tamen eandem cum interna ac  
spirituali Circumcisione, non contulit DEVS  
ipsis seorsim, sed interveniente Circumcisionis  
externæ Sacramento, quod erat visibilis con-  
suetudo, de venturo, & ex posteris Abrahamæ nasci-  
turo, semine benedicto, de quibus beneficijs longe  
maximis, generi humano, maledictioni obno-  
xio, per ipsum præstandis. Sic præcedenti ca-  
pite Notat. VI. ostensum est, Spiritum sanctum,  
regenerationem & salutem, operari qui-  
dem, sed non segregatum aut divulsam à Ba-  
ptismo, verum in aut cum hoc Sacramento,  
quod ipsum visibiliter docet, naturam huma-  
nam, peccato pollutam, immergi in sanguis-  
nem Filij DEI, & ab omni peccato emundari.  
Quod autem Respondentes, phrasibus & ar-  
gumentis iisdem, cum alijs fanaticis utentes,  
*obijciunt simul, de posteris Abrahami, eos A-*  
*postolo teste, non omnes placuisse DEO, quo factum*  
*non id sensu, & qua iusta distinctione accipien-*  
*dum sit, præcedenti Notatione perspicuè mo-*  
*nui. Donec ipsi etiam non admittunt, Ba-*  
*ptismum esse medium vel instrumentum, quo*  
*homines à DEO regenerentur: aut panem*  
*& vinum in S. Coena esse media, cum quibus*  
CHRISTUS

## NOTATIONES.

Christus corpus & sanguinem suū distribuatur, à Suenckfeldianismo se non evoluent, qui haud semel in libro Concordiæ damnatur. Non igitur tantū fidei gratia in Cœna porrigitur &c.

VII. Quærunť frustra, Quod sit iudicium de ijs, qui ne tum quidem legis tempore, & instituta Circumcisione, circūcidi voluerūt, quippe qui ante octavum diem mortui sunt? Non enim is salutem eorum vocat in dubium, qui piè recteque distinguit, inter contemptum ordinationis divinæ, & inter casum necessitatis, ratione cuius ea carendum ipsis fuit. In quam sententiam capite præcedenti, eadem de qua jam dixi Notatione, iudicium Augustini recensui, de Christianorum infantibus, si qui hodie etiam morte præventi, Baptismo carere coguntur, quando pijs Ecclesiæ & parentum precibus, divinæ miserationi & bonitati comendantur. Nā eandem esse rationem, foederis & Circumcisionis, in veteri Testamento, cum foedere & Baptismo, qui ei successit in novo Testamento, nō est dubiū. In hoc igitur necessitatis articulo, pro liberrima sua voluntate, & infinita potentia DEVS, fidem & regenerationem, sine medijs efficere potest, & idē nec de horum infantum salute, dubitādum esse censemus.

VIII. Scribunt, Se omnino Sacramenta habere, pro administrationibus sive actionibus sacris, & pro medijs, quibus utatur

N

DEVS,

## DE SEXTO CAPITE

DEVS, ac per hæc efficaciter operetur in hominibus, pro ut ei quoque tempore libet, & quibus medijs, cum ea sensibus percipi possint, fides confirmatur & corroboratur. His verbis licet aliquid Sacramentis, quo ad eum, de quo loquimur, effectum principalem tribuere videantur, tamen id mox ad confirmandam, & non ad conferendam fidem, more suo restringunt. Deinde hæc asserunt iterum sine justa distinctione, Baptismi infantum & adultorum, in quibus DEVS, per ordinaria huiusmodi media, salutem operatur, in his quidem, ut fides inchoata excitetur, confirmetur & corroboretur, in illis vero, ut eadem cum regeneratione & salute, quamvis sensibus nondum percipiant, conferatur atque applicetur. Præterea hæc addunt pag. 143. *Vim autem ipsam substantialem, ut vocarunt (maiores ipsorum) sive principalem, solis illis non ascribimus, ut videlicet quicumque ea percipit, eo ipso reviviscat, & ex illis Spiritum sanctum accipiat. Et contra, cuiusmodi copia horum nulla contingere potest, ut is fide & salute æterna excidat &c.* Ex his rursus apparet, ipsos Sacramenta, saltem pro rebus & actionibus externis, à divina operatione segregatis habere. Ostensum autem est hæcenus abundè, nos etiam vim principalem, non tribuere soli externæ

ternæ

## NOTATIONES.

ternæ actioni Sacramentorum, & operi operato, vel externæ tantum lotioni Baptismi, quod D. Petrus quoq; graviter reprehendit in Iudæis, somniantibus ipsorum externas lotiones, mundare & sanctificare animas, ex opere operato. Acceptam autem referimus, veram vivamq; efficaciam Sacramentis, ratione institutionis & ordinationis divinæ, quodq; DEVS seipsum & operationem suam, liberè ad hæc media externa, verbo suo alligavit, & quod velit summa atq; æterna salutis beneficia, per ea credentibus largiri, & applicare, idem certo verbo promisit. Eatenus ergo Sacramenta non nostra, sed DEI opera esse novimus. DEI autem opera (ut D. Lutherus in majore Catechismo addit) salutifera sunt, & ad salutem consequendam necessaria, neq; excludunt sed requirunt fidem, citra quam comprehendi non possent. Nam ut idem in præcedentibus contra fanaticos docet, Fides necessario aliquid habet, quod credat, hoc est, cui innitatur, & qua re suffulta persistat. Ita jam fides aquæ adhæret, creditq; Baptismum esse, in quo mera beatitudo & vita est: non aquæ virtute, sed per hoc, quod Baptismus verbo & ordinatione divina, unitus & confirmatus est, eiusq; nomine nobilitatus. Iam hæc credens, quid aliud quam in DEVM credo, ut in eum, qui suum verbum, Baptismo indidit & inseruit, ac nobis externas res proponit, in quibus

N 2

bus

## DE SEXTO CAPITE

bus tantarum rerum thesaurum, compræhendere queamus ?

**I X.** Subiiciunt pag. 143. **DE V M**  
ipsum & fidem dare, & iustitiam ac vitam conferre, & omnia ad salutem necessaria sup-  
peditare, prout ei quoquo tempore libet, etiam ante sacrorum administrationem, & sic Abra-  
hamum ante credidisse, quam circumcideretur: Iohannem Baptistam Spiritu sancto plenum antea fuisse quam nasceretur: Cornelium placuisse DEO, antequam baptisaretur. At verò hic rursus temerè, causas salutis nostræ, quæ in-  
dividuo nexu cohærent, cum fanaticis distra-  
hentes, confundunt exempla, quæ omninò dis-  
tincta ratione consideranda sunt. Nam Iohannes Baptista extraordinario modo, sive miraculose, antequam in lucem editus esset, in utero matris exiit, & Spiritu sancto repletus fuit. Sed Abrahamus in ætate grandiore, ante Circumcisionem, & Cornelius ante Baptis-  
mum, ordinaria ratione, & interveniente verbo DEI, fidem, iustitiam & salutem consecuti sunt, atq; ita Abrahamo Circumcisio, & Cornelio Baptismus, tunc demum non contulit fidem & regenerationem, quam antea ex verbo divino conceperant, sed inchoatam illam, his Sacramentis plenius ipsi auxerunt, confirmaverunt & corroborarunt. Quod autem infantes  
attis

## NOTATIONES.

attinet, ut olim in Circumcisione, ita hodie in Baptismo, eadem fides in ipsis inchoatur, & cum regeneratione atq; salute, simul applicando confertur.

X. Respondentes præcedentibus annexantur: *Valde autem ἀσολογισῶς hic Examinator contra nos argumentatur, in hunc modum Sacramenta fidem & salutem non conferunt: Ergò inania sunt & nihil agunt.* Sed nugatores illos, contra manifestam veritatem, hoc mihi affingere, ex eo omnes boni, vel me non monente depræhendent, quod disertè scripsi, Sacramenta non tantum testificationes, & oblationes esse gratiæ, in quam à DEO recipimur, sed etiam media, per quæ regeneratio & reconciliatio, nobis offertur & applicatur. Nunquam igitur eum finem, quo Sacramenta oblationes esse dicuntur, in dubium vocavi, sicut nec alios fines & effectus remotiores, vel minima ratione negavi, sed hoc volui, ut principalis illius finis, valde illustribus sacrae Scripturae testimonijs propositi, & gravissimis asseverationibus inculcati, accurata & pia haberetur ratio. Quæ igitur fronte *μωροσοφοί* isti fingunt me concludere ἀσολογισῶς Sacramenta præter finem principalem esse inania, vel nihil agere, cum tamen nusquam in meo scripto, huiusmodi Syllogismus, aut eius præmissæ habeantur. Nonne verò unius

N 3 rei

## DE SEXTO CAPITE

rei multi possunt esse fines, licet subordinati &c.

XI. Subjungunt: pag. 144. Sed quoniam Hedericus tantum Sacramentis ascribit, quod ipsa conferant fidem, Spiritum, justitiam, salutem æternam, nimirum ostendere debuit, cur Iudæ, de quo tamen controversa res est, cur Ananiæ, cur Simoni Mago & similibus, hæc non contulerint. Ad hæc cum esset respondendum, deflexit à re nimis longe: accidisse hoc enim ait, ipsorum culpa non DEI. Atqui nos hoc quoque scimus. Sed tamen manet firmum, & nondum est refutatum, quod dicimus, Sacramenta non habere in seipsis vim eam, ut vitam conferant: si enim haberent hanc, nimirum quisquis perciperet Sacramenta, eum necesse esset æternum vivere. Hæc formalia Antagonistarum verba ideò recensui, ut Lectores rursus intelligant, eadem cum fanaticis argumenta ipsos urgere. De exemplis igitur quæ hic citant, verbis Augustini, in priore scripto responsum est. De hisdem pro repetitis haberi poterunt, quæ nuper de hoc capite, potissimum D. Lutheri sententijs, Notat. V. exposui, & simul divinam operationem, & efficaciam in Sacramentis, sicut & corporis Domini in S. Coena virtutem ostendi, non esse æstimandam, pro conditione virium naturalium,

um,



## NOTATIONES.

um, in rebus creatis, & sine deliberatione, semper uno & eodem modo agentium, sed quod liberrimè, ubi & quando DEO sit visum, per ea ipse operetur, in credentibus quidem vitam & salutem, in ijs verò qui non credunt, iudicium. Nec tamen hoc ea fit ratione, quod Sacramentorum virtus & efficacia, sit fundata in fide ipsa, sed in ordinatione DEI, & immutabili verbo eius, quod fides apprehendit &c. Qua de re etiam Notat. VIII. præcedenti nuper monui.

XII. Adhuc, Me huic loco ineptissimè attexuisse, particulam de Electione divina, & nolunt videri, quasi actionem seu operationem divinam, primo loco collocent, rursus extenuent Sacramenta, & ab illorum usu homines abducant &c. At verò non ego, sed ipsi Fratres Bohæmici, loco de Sacramentis in genere, particulam de Electione divina, & quidem non præcisè, sed prolixè attexuerunt, in Apologia, quam in hac Responsione authenticam, cum Confessione sua agnoscunt, & ideò non me, sed ipsos Fratres, hinc Respondentes ceu ineptissimos palam accusant. Deinde iudicium fiat, An non ibidem post multa, quibus negant per Sacramenta conferri fidem, iustitiam & salutem, ipsi actionem, sive operationem divinam primo loco, & ante mediâ à DEO ordinata collocent his verbis:

N 4

Verum.

## DE SEXTO CAPITE

Veruntamen quanquam is solus (institutor  
CHRISTVS) efficaciam illam salutarem in  
Ecclesia, inq̄ membris illius, ministrorum co-  
operatione, etiam exerat & exerceat, Non ta-  
men id in omnibus qui ijs externis communi-  
cant, operetur, sed in ijs solis, qui ad id præor-  
dinati sunt à Patre cœlesti, quiq̄ ad Filium  
attracti, ab eo edocti, atq̄ illi donati sunt, cuius  
multa passim in Scripturis sacris occurrant  
exempla. Atq̄ hinc est ut doceamus & tenea-  
mus, quod non à sola externa Sacramentorum  
operatione aut virtute, aut etiam Ministrorum  
autoritate, salus pendeat, sed principaliter ac  
essentialiter, ab gratuita liberrimaq̄ illa be-  
nevolentia DEI agente &c. Præterea iudices  
tū an non etiam his quæ paulò post subi-  
ciunt, extenuent ac contemptui palam exponant  
Sacramenta, & ab eorum usu homines abdu-  
cant, simulq̄ particularitatem promissionum  
& beneficiorum Euangelij, quasi non pertine-  
ant ad omnes homines, obtrudant cū scribunt:  
Nisi quis substantialia sive essentialia salutis,  
tàm ea quæ sunt ex parte DEI agentis, quam  
ea quæ sunt ex parte hominis ea suscipi-  
entis, divini numinis favore affecutus fuerit,  
is quo pacto salvus esse poterit, sit quantum  
eunq̄ externarum administrationum auxilio  
vel

## NOTATIONES.

*vel adobrutus.* Ad quam sententiam, periculis  
iosam omninò & perniciosam, sibi objectā, ubi  
respondendum erat, plus muti sunt, quàm pi-  
sces. De eiusmodi sanè vocibus D. Lutherus  
præter alia, quæ à me in priore scripto citata  
sunt, etiam in domestica Postilla sic monet:  
Quanta securitas & impietas inde sequatur,  
quivis ex seipso conijcere potest. Sed ab hu-  
iusmodi cogitationibus, tanquam à Diabolo  
cavendum, & alia ratio discendi, & de volun-  
tate DEI cogitandi suscipienda est &c. Nec  
hic de eo, quod addunt, est quæstio, Num ijs  
tantum velint administrari Sacramenta, qui  
sint electi, sed de principali fine & effectu illo-  
rum, & quod DEVS ipse quidem agat, & o-  
peretur in electis atq; vocatis, sed non sine me-  
dijs à se ordinatis, à quibus minimè, operatio  
eius divina, ut sit ab ipsis, sic divellenda. Quæ-  
re quod ad finem capituli huius attexunt,  
*Se ad media à Deo ordinata, vniuersos homi-  
nes adducere, atq; his contentos esse, id tum ve-  
rè & ingenuè, ipsos dicere posse censebimus,*  
quando rationes, quibus principalem Sacra-  
mentorum finem, hætenus oppugnant, retrah-  
tauerint, & verba Apologiae & Confessio-  
nis suæ de eadem re, deinceps mor-  
dicus tueri desis-  
tent.

N 5

DE

## DE SEPTIMO CAPITE

### DE SEPTIMO CAPITE DISCREPANTIÆ,

nempe ex loco de Baptismo, eoq̄  
omnium frequentissimo, qui hodie in-  
fantibus administratur, No-  
tationes.

**P** R I M A, Quod hîc Controversi-  
sæ Statum attinet, Respondentes discer-  
pendo illum initio, particulam eius saltem  
attingunt, *Quod nimirum infantes fide carere  
dicunt, & hanc illis adimunt, atq̄ in adultis  
tantum fidem esse contendunt: alteram verò  
partem, & nec eam quidem integram, postea  
involuunt ijs, quæ de Colloquio cum D. Lu-  
thero habito, præcite admodum recensent,  
quod infantes ad futuram fidem sint baptisan-  
di, & quod interea (ut ex Apologia ipsorum  
in priore scripto, post alia ostendi) eos ba-  
ptisent in alienam fidem, nempe Ecclesiæ, quam  
ipsa habet, dum verbo CHRISTI de pue-  
rorum salute innitur, sicut ipsi loquuntur.  
Nolunt ergo Baptismum, infantibus esse me-  
dium, per quod ipsis secundum evidentissima  
sacræ Scripturæ testimonia, præcedenti capite  
Notat. I. citata, regeneratio, fides, iustitia &  
salus conferatur, sed divellendo virtutem & o-  
peras*

## NOTATIONES.

perationem Spiritus sancti à Baptismo, eandem regenerationem, cum demum, ubi ad aetatem adultam pervenerint, illos consequi sentiunt. Qua ratione quid aliud Baptismus ipsis erit, quam solummodo designatio, eius regenerationis, quam illi multo tempore post, vel fortè nunquam consequuntur. Hunc igitur perniciosum, intolerabilem & foecundum errorem, cum Antagonista negare haud possint, non tamen eum agnoscere, ingenuè sateri, & retractare volunt, sed omnino sese huc & illuc, circum circa versantes & intorquentes, miris tergiversationibus elabi, licet frustra conantur. Sic nihil ad rem facit, quod cæteris praemittunt, de ordinario modo, quo adulti, per auditum verbi, fidem & salutem consequuntur. Non enim de his est quaestio, in hoc capite, de Infantibus & eorum Baptismo, per quem minimè ordinario modo, fidem, Spiritum sanctum, & salutem ipsis contingere, hi Fratres concedunt, cum rationis non sint capaces, qua auditum verbi percipiant, ad eumque fide sua informantur.

II. Quod scribunt, de potentia DEI, *Posse eum alio modo efficere, quicquid ipsi libeat, & Spiritu suo sancto corda hominum viva reddere, fidemque ac salutem, & omnia necessaria, benignè illis conferre, id nemo in dubium vocat.* Quod si verò hoc ipso, nempe  
extrat

## DE SEPTIMO CAPITE

extraordinario modo, & in articulo necessitatis, pro infinita potentia sua, Deus potest id efficere in infantibus, cur non inde nobiscū concludunt, ipsum similiter ordinario modo, & per media a se constituta, quale est Baptismus, fidem justitiam & salutem, non posse tantum, sed etiam de testimonio factorum oraculorum, vere ac certo operari in iisdem infantibus. In his igitur, cum iisdem sacris literis, & Confessione nostra, (cuius alioqui utuntur autoritate) pie recteque asserendis, jam pridem in Fratribus Bohæmicis animum apertum, nullaque simulatione tectum desideramus.

III Subijciunt pag. 147. Imo quia hoc credimus ita fieri (extraordinario modo) & fidei huius nostræ fundamentum, habemus certum ac firmum, promissionem divinam hanc, *Ero DEVS tuus, & seminis tui, &c.* ideò baptissamus, etiam infantes, ut ipsi quoque divinæ huius gratiæ testimonium, recipiant. Volunt ergo Baptismum in ipsis esse tantum testificationem, de gratia DEI, non verò medium, per quod eiusdem gratiæ summa beneficia, illis exhibeantur & applicentur. Vnde etiam nondum dextrè allegant, promissionem divinam: *Ero DEVS tuus & seminis tui.* Non enim satis est, verbis hanc promissionem de ipsis recensere, & eidem promissioni gratiæ eos includere, sed maximorum bonorum, quæ illa  
com

## NOTATIONES.

compræhenduntur collatio, exhibitio & applicatio ad singulos in specie, quæ revera de constitutione divina, per Sacramentum Baptismi, pro liberrima voluntate DEI fiat, statuenda est. Iam quia Baptismum infantum ipsi habent, pro testimonio gratiæ divinæ, non verò pro eius quoq; exhibitione, haud obscure indicant, se hoc velle, quod jam antea illam, ex propagatione obtineant, quodq; à parentibus nascantur, non verò per Baptismum efficiantur Christiani. Id quod cum sacris literis, & orthodoxæ Ecclesiæ sententijs pugnare, manifestum est. Non enim nasci nos Christianos inde constat, quod Apostolus τῶν φύσει filios iræ nos vocat. Quod autem Christianos fieri nos oporteat, testatur gravissima CHRISTI Domini asseveratio: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum DEI.

IV. De altera in hoc capite erroris parte, quam prolixè ex scriptis D. Lutheri eis objeceram: *Quod videlicet infantes ad futuram fidem baptisandos censeant, prætendunt pro more suo, me non satis perspexisse, neq; intellexisse, vel noluisse saltem intelligere, sententiam ipsorum. Addunt, Omnium eorum, quæ ibi dicantur, summam hanc esse: Non posse tam facile judicium fieri de fide in infantibus, quam*

## DE SEPTIMO CAPITE

quam in adultis, cum infantes neq̄ audiant  
verbum, unde fidem esse testatur Apostolus,  
neq̄ confiteantur ore, aut profiteantur ea, ex  
quibus tanquam testimonijs externis, & indi-  
cis certis conijci, judicari, & statui tuto possit  
de ijs quæ intus in corde latent: Itaq̄ docen-  
dos esse, & instituendos deinceps, ut quæ cor-  
dibus eorum DEVS inseruit, ore profiteri  
sciant, neq̄ à veritate & fide vacui, aut ho-  
rum expertes tantum reperiantur. Hæc Res-  
pondentes. Quomodo verò ego aliter aut  
rectius sententiam ipsorum perspiciere, aut in-  
telligere potui, quam Lutherus, qui & coram  
Colloquium cum illis instituit, & scriptum si-  
bi per legatos oblatum, accuratius exami-  
navit, suumq̄ iudicium de eo non solum in op-  
pulo, tunc ad Fratres misso, sed etiam pro-  
lixè, explicationibus sacris, Postillæ nimirum  
Ecclesiasticæ, ad eum modum, quo illud in  
meo libello, de verbo ad verbum latinè reddi-  
tum recensui, inseruit. Nequaquam igitur gra-  
vissimis rationibus eius, quibus de monstro-  
so errore, manifestò ipsos convicit, hoc in lo-  
co contradicere, multoq̄ minus eas refellere  
possunt. Nec ad rem illa faciunt, Quod scri-  
bunt se hoc sensisse: Non posse tam facile iudi-  
cium fieri, de fide in infantibus, quam in adul-  
tis, cum infantes neq̄ audiant verbum, unde fi-  
dem



## NOTATIONES.

ut esse testatur Apostolus, neq̄ confiteantur ore  
&c. Quem enim inter homines ostendens  
καρδιογνωσῆν, qui etiam in adultis hypocrisin,  
à vera fide, de qua quæstio est, possit dinoscere.  
Non igitur, quod adhuc Respondentes statu-  
unt, infantes qui CHRISTO per Baptis-  
mum offeruntur, fide vacuos esse, adeoq̄ ad  
futuram fidem, hoc Sacramentum illis admini-  
strandum esse judicamus. Rationes firmissi-  
mas, quibus nostrarum Ecclesiarum sententia  
est fundata, brevitatis studio nunc omitto.  
Ipse Dominus certè, qui est veritas, pueros o-  
perationis divinæ, & fidei capaces esse, dilertè  
affirmat, ubi Matthæi 18. v. 6. ait: Qui  
scandalisaverit unum ex pusillis istis, qui in me  
credunt &c. Cum etiam ibidem dicat, Nisi  
conversi fuerimus, & efficiamur sicut pueri, ne  
adultos quidem posse ingredi in regnum celo-  
rum, & quod hoc ipsum regnum non aliter,  
quàm per fidem apprehendere, & obtinere  
nobis liceat, necesse est ut pueris etiam, per Sa-  
cramentum Baptismi, fides illa conferatur,  
cuius beneficio, regni cœlestis participes red-  
dantur. Viderint igitur Antagonistæ, quo-  
modo infantes & pueros suos ab interitu vin-  
dicent, si interea temporis morte prævenian-  
tur, dum à veritate & fide vacuis, eo usq̄ ex-  
pectandum est ipsis, donec in ætate adulta, (si-  
cut scribunt) doceantur & instituantur, ut quæ

COR

## DE SEPTIMO CAPITE

cordibus eorum DEVS inseruit, ore profiteri sciant. Nam eatenus, in summo illos hæerere periculo, ex eo abundè constat, quod testante Scriptura, sine fide placere DEO sit impossibile.

V. Subijciunt pag. 148. *Hæc tamen cum dicuntur, nequaquam negatur, DEVM ipsum in infantibus absq; externa illa, quæ hominum intelligentium est, auditione, operari & efficere ea, quibus ad salutem æternam illis opus est. Nam in eo ipso ad Lutherum scripto, hæc etiam verba inter alia extant, quæ interpretationem hanc nostram confirmant: Dona, inquit, DEI, gratuito per Spiritum Sanctum infunduntur, etiam antequàm quicquàm cognoscimus, aut re ipsa scientes facimus. Expresse igitur fatentur ibi nostri, non detedere quicquam saluti infantum, etiamsi fidem ore confiteri tum, propter ætatem non possint. Ex his verbis planum est, ipsos rursus ab ordinario salutis infantum modo, in verbo DEI expresso, ad extraordinarium deflectere, quando indicant DEVM, sine externa verbi auditione, & eatenus etiam externa Sacramenti administratione (quàm callidè hîc dissimulant) salutem in infantibus operari. Similiratione cum Enthusiastis Suenckfeldius contendit, DEVM sine externis & visibilibus medijs, verbi & Sacramen-*

cramen-

## NOTATIONES.

eramentorum, operari fidem & salutem. Ad hæc nonne Antichristica id volunt portenta, quod homini non renato, primum dona justitiæ inhærentis infundantur, & illam primam infusionem esse gratuitam, per quam accepto primum habitu, seu infusa qualitate charitatis, ad bona opera, quæ sint meritoria, excitemur. Viderint igitur Respondentes, qua ratione ab hujusmodi fanaticis & monstrosis opinionibus, quibus sua involvunt, se recte expedire possint.

VI. Denuò pag. 149. *Urgent promissionem, quæ ad infantes Christianorum pertineat: Ero DEVS tuus & seminis tui.* Hac verò promissione ipsi abutuntur, quando eam iterum hoc sensu proferunt, quod infantes in fœdere DEI sint, eicq; placeant, ratione propagationis, e Christianis parentibus, & quod ideo non sit necesse, vt fidem, justiciam & salutem per Baptismum consequantur. Hinc etiam iudicium fieri poterit de his, quæ mox addunt: *Credimus ipsorum esse regnum cælorum, baptisamus eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti. Quid præterea poscit?* Atqui talium est regnum cælorum, sed eo ordine & per ea media (excepto necessitatis casu inevitabili) illud consequuntur, qui in verbo DEI ostensus est. Hoc igitur posco & requiro ab ipsis, vt abiecto fanatismo, quem ista ratione produnt, aperte profiteantur cum  
O lacra

## DE SEPTIMO CAPITE

ſacra Scriptura, Infantes etiam, niſi renati fuerint, ex aqua & Spiritu, non poſſe introire in regnum DEI: Item, Baptiſmum infantibus quoq; eſſe lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus ſancti &c. Hoc cum facere reculent, ut in poſterum autoritate Confelſionis noſtræ abuti deſinant, meritò etiam ab iſtis poſtulatur.

V I I. Scribunt eadem pagina, *Nobis ſatis eſt frui illa conſolatione, quam ex promiſſione divina, & testimonio ſalvatoris haurimus, quod ad infantes etiam ſalus pertineat, quod & ipſi ſancti ſint, & regni cælorum hæredes.* Hic alijs ſacræ Scripturæ dictis, eodem cum prioribus ſenſu abuti videntur. Nam inter dicta Divi Pauli hæc habentur: Nos natura Iudæi, & non ex gentibus peccatores. Item, Filij veſtri ſancti ſunt. Ex his igitur Respondentes, valdè ἀσυνλογισῶς, cum Anabaptiſtis, & ſimilibus inferent: Ergò Chriſtianorum liberi non ſunt peccatores, & hominum piorum aut credentium ſoboles, eſt munda & ſancta. Etenim quod Iudæi, aut Chriſtianorum liberi, à peccatoribus cæteris ſegregantur, & ſancti pronunciantur, id fit vel reſpectu legalis cuiusdam, & externæ ſanctitatis, vel ea ratione, quod procreatio & educatio liberorum, in Conjugio divinitus ſancita, eſt DEO accepta, vel quod verbum vocatio  
nis,

## NOTATIONES.

nis, & prædicationis Euangelicæ, præ Turcis & alijs incredulis gentibus, ad nos perringit. Id verò minimè exponendum est, de sanctitate, Iustificatione & Regeneratione spirituali, quæ ab omnibus salvandis, per media à DEO constituta, in specie acquirenda, & ideo etiam ab infantibus, ob causas gravissimas, supra recitatas, per Baptismum est percipienda. Ad similem modum constat, Augustini, temporibus, huiusmodi dictis abusos esse Pelagianos, qui expressè in Antithesi, secundi Articuli Confessionis Augustanæ damnantur.

VIII. Respondentes subjungunt: *Iniquè sanè à nobis id poscit, de quo nec ipse statuerè potest. Disertè enim scribit, Non possumus, inquit, satis intelligere, aut verbis explicare, qualis sit illa divini Spiritus actio. Ferrat igitur equiore animo, in nobis etiam, quod nos de talibus parcius loquimur.* His verbis putant se elabi posse, palliando errorem suum, quod infantes qui baptisantur, à veritate & fide sint vacui. Nec tamen quæ mihi hîc tribuunt verba, sunt mea, sed formulæ Concordiæ Anni 1536. quæ longè diverso sensu hîc ab ipsis proferuntur, quam quali, qui subscripserunt, D. Lutherus, & reliqui Ecclesiarum Augustanæ Confessionis Doctores, id acceperunt. Nam licet modum operationis divinæ, se non intelligere fateantur, tamen disertè ibi

## DE SEPTIMO CAPITE

dem præmittunt, quod constet, infantibus per Baptismum contingere, remissionem peccati originalis, & donationem Spiritus sancti, qui in eis efficax est, pro ipsorum modo. His correspondet Apologia Confessionis nostræ ubi habet: Quod DEVS approbet Baptismum parvulorum, hoc ostendit, quod DEVS dat Spiritum sanctum sic baptulatis. Nam si hic Baptismus irritus esset, nullis daretur Spiritus sanctus, nulli fierent salvi, denicq; nulla esset Ecclesia. Ab his igitur verbis, Confessionis nostræ, & Doctorum eius, Fratres Bohæmicos discrepare, quis non videt?

IX. Ad finem addunt: *Quæ præterea in hoc capite scribit, omnia missa facere possumus, cum & sententiam nostram exposuerimus, & verum intellectum eorum, quæ à majoribus nostris hac de re sermonibus aut scriptis tradita fuere ostenderimus &c.* An verò sententia ipsorum, quàm hîc exposuerunt, sit sana, sit orthodoxa, & cum sacris literis consentiat, de eo adhuc hæret quæstio. Quod etiam attexunt, *Luthero ad ipsius argumenta contraria, antecessores illos suos respondisse, num illa sint alicuius ponderis, & ad rem faciant, colligi poterit ex ijs, quæ de Responsione Bohæmica ipsorum, latinè conversa, in priore scripto meo recensui, Quæ autem ex*  
illis

## NOTATIONES.

illis correxerint, non hîc exprimunt, & ideò si quæ odio digna, ut hîc loquuntur, ab ipsis jam olim defensa, & à me reluscitata sunt, sibi imputent, quod illa publicè spargere non sunt veriti.

X. Restat alius error, & quidem recentior, quem in priore scripto, post cœtera, ex Apologia ipsorum recensui, in qua parte quarta folio 82. sic scribunt: *Baptisamus eos (infantes) sub nomine DEI, in verbo CHRISTI, ad fidem Ecclesiæ, quam ipsa habet, dum verbo CHRISTI de puerorum salute, innitur. Atq; hoc pacto eos in consortium Ecclesiæ, inq; Catalogum omnium CHRISTO consecratorum suscipimus, ut illis veluti jam CHRISTI membris adsimus, in omnibus ad salutem eorum spectantibus, & oportunitate posthac, per ætatem data, ad propriam illorum fidem eis cooperemur &c.* Admoniti igitur de hoc errore suo, negry quidem respondent, cum tamen de testimonio, scriptorum Prophetarum & Apostolorum constet: Iustum fide sua vivere, adeoq; neminè salvari, qui propria fide sua careat. Idè error patrocinator, impio dogmati Anabaptistarum, quo contendunt, infantes in ætate tenera minimè baptilandos esse, ideo quod propria fide careant, eaq; de causa, baptismum ipsorum esse iterandum. Præterea subscribunt hoc modo

## DE SEPTIMO CAPITE

do Pontificijs, idem sentientibus, & propterea  
infantes in fidem alienam, nempe Ecclesiæ ba-  
ptisiantibus. Quare donec errorem hunc su-  
um, cum cæteris non agnoscunt, nequaquam  
palliolo Confelsionis Augustanæ, cum sacra  
Scriptura, diversum omninò (quod hacten-  
us ostensum est) docentis, se te-  
gere amplius possunt.

## DE CAPITE OCTA- VO DISCREPANTIÆ, Nempe ex loco de sacra Chris- ti Domini Coena, No- tationes.

**P**RIMA, Antagonistæ initio  
per calumniam fingentes, *Me verba ipso-  
rum mirificè in alienam sententiam de-  
corsisse & exagitasse*, mox se convertunt ad  
generalitates, strophas, cothurnos atq; anti-  
logias, quibus in hoc capite jam pridem uti  
consueverunt. Nolunt enim videri, se verba  
S. Coenæ aliter intelligere, quam ut pronun-  
ciata sunt, & tamen corporalem CHRISTI  
in eadem præsentiam, manifestò pernegant,  
idq; non semel, sed quater in Responzione huius  
capituli



## NOTATIONES.

capitis repetunt, ne quis putet obiter saltem id  
 eis excidisse. Nam primo post verba, quæ ci-  
 tant ex Responsione, ad Lutherum scripta:  
 Panem esse corpus Christi verū, naturale &c.  
*Addunt per correctionem, non tamen existen-*  
*tia sive presentia corporali.* Deinde pag. 153.  
 adierunt sequi se & retinere, majorum suo-  
 rum formulam, in Confessione modo proposita,  
 de non corporali presentia. Præterea ad ea,  
 quæ de CHRISTI Domini secundum hu-  
 manam naturam exaltatione, glorificatione,  
 potentia, maiestate, supra universam creatu-  
 ram, priori scripto interu, respondēt pag. 157.  
 Sed quid hæc faciunt, ad demonstrandam cor-  
 poralem ipsius in Cæna presentiam. Insuper  
 eadem pagina, ad verba D. Lutheri, perverso  
 se detorta, inferunt: Neq̄ verò CHRISTVS  
 unquam dixit, Corpus & sanguinem suum  
 corporaliter fore vel esse in sua Cæna &c.  
 Hoc nimium est illud, quod hic in controver-  
 siam venit, & de quo olim D. Luthero, & ha-  
 ctenus cæteris, nostrarum Ecclesiarum Docto-  
 ribus, haud abs re suspecti fuerunt, quodq̄ a-  
 pertè profiteri noluerunt, se videlicet corpora-  
 lem CHRISTI in S. Cæna presentiam per-  
 negare, & contra Articulum decimum nostræ  
 Confessionis, secus docendo pugnare, ean-  
 demq̄ phrasin, contra mentem nostram, ad  
 O 4 modum

## DE OCTAVO CAPITE

modum præsentiaæ detorquere, ubi nos de re ipsa, quæ in vero usu in ea existit accipimus. Nonne ergò ita luditur, cothurnis & antilogijs, ubi dicitur: Credere panem esse corpus CHRISTI, ut verba institutionis sonant, & tamen rem ipsam, nempe corporalem CHRISTI præsentiam negare, & unicam illam alteram, nempe spirituales & efficaciam statuere? Hinc in Harmonia Confessionum Sect. 14. observat. additur: In Confessione VValdensica perspicuè dicitur, quod quidem verbis S. Coenæ credant, id quod per se sonant, nempe de vero pane & vino: Itemq; de vero corpore & vero sanguine: Attributionem verò qua corpus de pane, & sanguis de vino dicitur Sacramentali Metonymia esse interpretandam.

II. Iudicabunt Lectores qua temeritate, imò & meretricia fronte, *hic provocent ad Responsum majorum suorum, superioribus temporibus ad Lutherum scriptam.* Nam is propterea apertè se eis opposuit, quod in Catechético suo libello, hoc posuissent dogma: CHRISTI corpus sub Eucharistiæ Sacramento, non naturaliter contineri. Addidit etiam, mirum id sibi videri, legatos eorum coram aliter & verbis, sententiam suam de CHRISTI in Coena præsentiam exposuisse, & aliter in libello edito adseruisse. Majores igitur VValdensium in Responso sua Bohem.

## NOTATIONES.

Bohœmica, nequaquam affirmativè, ut hic Juniores eorum sectatores narrare audent, sed contra negativè rescripserunt: *Verum CHRISHI corpus naturale, in S. Cœna non esse præsens*, sicut pluribus id ostendi in priore parte scripti mei. Optarim autem à Lectoribus, collationem Responſionis illius & interpretationis, quæ in meo libello habetur, institui, non solum ideò, ut adeò frequentes, & crassæ ipsorum antilogiæ depræhendantur, sed ut etiã judicetur, an, ut hic nugantur, *Nonnulla & qualia minus rectè, & non ingenuè, ex Responſione ipsorum recensuerim, vel an suspicionibus & insimulationibus, prout libuerit mihi, ipsos finxerim & pinxerim.* Nonne verò hic ipsi, quid alant monstri produnt, ubi scribunt: Panem esse corpus CHRISHI verum naturale, Non tamen existentia sive præsentia corporali: Sic in Confessione Vladislao Rege Vngariæ olim oblata præter corpus naturale ponunt & alterum spirituale: Quale cum Suenckfeldius quoq; in S. Cœnam intulisset, haud abs re ab Orthodoxis ei objectum fuit, corpus, Marcioniticum & Phantasticum ipsum statuere.

III. Subijciunt pag. 151. *Quare autem ita de nobis loquatur & scribat, causas quasdam recenset, quibus nos hanc Responſionem nostram opponimus. Primum, Diversos esse*

O 5

esse

## DE OCTAVO CAPITE

esse articulos, illum de Ascensione CHRISTI, abituq; huius, & simul tamen mansione quoq; nobiscum ipsius; & hunc alterum de Cœna Domini: itaq; alter cū altero, ne confundatur. At verò & ego hos articulos esse diversos statuo, & eum qui est de præsentia CHRISTI personali, secundum utramq; naturam in Ecclesia & electis, propterea speciatim in primo capite discrepantiæ, adversus negantes, in prælo & hoc scripto, defendendam suscepi, Articuli de sacra Cœna (cuius sua ratione aliqua saltem ibidem erat inserta mentio) peculiari tractatione, ad hoc caput octavum reservata. Nunc autem rursus, de Articulo Ascensionis & Sensionis, nonnulla proferuntur, non quod confundi debeant, eæ quæ sunt diversa, aut quod sedes doctrinæ huius, aut fundamentum veræ præsentia corporis CHRISTI, in Sacra Cœna, inde dependeat, sed quod in Confessionibus & Apologia VValdensica, mihi eam ad rem, data fuerit occasio, quando nimirum per dicta, ad Articulos huiusmodi pertinentia, veram realem & substantialem, corporis & sanguinis CHRISTI præsentiam in eadem, vel negare, vel impugnare conantur. Ex his verò Articulis contra, manifestò probatur, eos haud quaquam præsentiam illam enervare aut evertere, sed multo potius si piè rectèq; accipiuntur, confirmare. Dicta ex Confessionibus

bus

## NOTATIONES.

bus & Apologia Fratrum Bohæmicorum, quibus ex iisdem Articulis, veram eamq̃ corporalem CHRISTI ex S. Coena præsentiam negari, & ex ea removeri posse contendunt, studio brevitatis nunc prætereo.

IV. Nequaquam verum est, quod hic scribunt pag. 152. *Omniem inter nos & ipsos controversiam, in hoc solo consistere, Quomodo adsit CHRISTVS?* Nam ut & supra cap. 1. discrepantiæ Notat. I. ostendi, Sacramentarij eadem sophistica adversus nos utuntur, quoties generalitates eorum, de Spirituali manducatione, absentis corporis Christi, recipere nolumus. Sic Sarmata, adstipulator Syncretismi Polonici, cuius supra facta est mentio, contendit non de Cæna CHRISTI, & verbis eius, sed de rei modo partes, vel in defectu, vel in excessu sententijs discordare, & de ijs acerrimè pugnare. Qui & ipse cap. 6. Iohannis, cum Institutione S. Coenæ, & subinde manducationem Sacramentalem, cum Spirituali confundere, & tam Oralem quàm Corporalem, dignorum & indignorum negare haud veretur &c. At verò Nos disputamus & dimicamus, de ipsa præsentia veri corporis CHRISTI in S. Coena, & eam essentialem, realem & corporalem appellamus, designando aut intelligendo rem ipsam, quæ in vero usu, de institutione divina in

na in.

## DE OCTAVO CAPITE

na in ea existit. Quod si diceremus, corpus Christi adesse in Cœna per transelementationem, per localem inclusionem, per physicam aut naturalem permixtionem, copulationem & affixionem, tum id nobis imputari posset, quod de modo præsentia disputaremus. Quin verò de hoc ipso modo fatemur, quod sit singularis, extraordinarius, incompræhensibilis, inscrutabilis, nec tamen propterea falsus aut fictus, sed verus & planè divinus, qui ipsi auctori CHRISTO Domino, DEI & Mariæ virginis Filio sit cognitus, qui solus sapiens, verax sit & omnipotens. Quod etiã nos τὸ ἕν τὸν assertingo, panem statuamus esse corpus CHRISTI, Sacramentali unione, ab ea tamen quam Calviniani profitentur diversa, infra Notatione X. erit attingendum. Quis ergò impellit Antagonistas VValdensicos, ut disputent de modo, quod se non libenter facere hic scribunt, cum nec à nobis id fieri intelligant?

V. Dolent de hoc sacro Ministerio, & huius causa, tantas discordias & lites moveri, ut vix ulla in re alia, magis inter se dissideant pleriq; & majore odio vel furore etiã, alij in alios inflammentur &c. An verò putant nos minore affici dolore, quod tantas tanto tempore dissensiones in Ecclesiis, & quidem  
refo

## NOTATIONES.

reformatis, hæc controversia excitari? **V**iderint autem ipsi, an non primi cum Sacramentarijs, eiusdem sint autores, quando jam olim & nunc rem ipsam Sacramenti huius pernegant, dumq̃ videri volunt, se verbis illius infiltere, nihilominus substantialia, eiusdem compræhensa, nobis subtrahunt, nec illa relinquunt integra. Verissima autem est Regula quod sublatis substantialibus Sacramentorum, hæc ipsa tolli necesse sit. Quod si tandem igitur non penitus, hoc Sacramentum venerabile, everti & tolli volumus, necessario de eius integritate & veritate, contra negantes pugnandum est.

**V I.** *Quod de studio pacis & charitatis iterum inferunt,* nec illud minori nobis curæ, quam ipsis esse statuunt velim, si modo salva veritate, huiusmodi pace nobis frui liceat. **O**ppono autem hic ipsis **D. Lutheri,** ex didacticis etiam scriptis verba: **Nos sine charitate & concordia cum Sacramentarijs, POSSUMVS SALVI FIERI:** Non item sine pura doctrina & fide. **A**lioqui libenter servabimus charitatem & concordiam, erga illos, qui piè nobiscum sentiunt, de omnibus Articulis Christianæ doctrinæ. **I**mò etiam quantum in nobis est, pacem habebimus cum inimicis nostris, ac pro ipsis orabimus, qui per ignorantiam, doctrinam nostram blasphemant,

## DE OCTAVO CAPITE

mant, & nos persequuntur. Non item cum hīs, qui scienter & contra conscientiam, Articulum aliquem, aut plures doctrinae Christianae laedunt. Et Paulus hic suo exemplo, tam pertinaces nos esse docet, qui propter rem, ut Pseudoapostolis, & eorum discipulis videbatur, (nam utriusque putabant, hi se recte & pie docere, illi se recte pie credere) non solum levissimam, sed etiam iniquissimam, certissime praedicit, eos portaturos iudicium suum &c.

VII. Ut penitus perspiciatur, Respondentes, quicquid de verbis S. Coenae dicant, nihilominus rem ipsam, & substantialia huius Sacramenti, scientes cum veteri suo antesignano VViclepho subtrahere, nunc post ea quibus nuper ostendi, praesentiam CHRISTI in eo corporalem ipsos pernegare, alia addo formalia dicta, quae hic subiungunt pag. 151. *Cum autem nostri saepe numero ab alijs sollicitarentur, & varijs modis cogerentur, ad aliquam saltem declarationem sententiae suae, & ad explicandum, quomodo verba Christi intelligerent: tum igitur hoc etiam aliquatenus tentarunt, & Sacramentalem hanc esse locutionem scripserunt. Adhuc ut plenius loquerentur, atque refutarent etiam adversariorum argumenta contraria, quae ipsis tum obieiebantur, ab utraque parte, tam a Pontificiis quam*



## NOTATIONES.

quàm Habrovanitis, quorum illi plus quàm  
 par erat Sacramentis tribuebant, id quod &  
 hodie faciunt: hi verò nimis ea extenuabant,  
 ideò addebant nostris ista quoq; verba, ut dice-  
 rent, cum orthodoxa antiquitate, corpus Chri-  
 sti adesse sp̄ ritualiter, efficaciter & vere &c.  
 Hactenus Respondentes. An non hîc manife-  
 ste contrarium affirmant, atq; seip̄os menda-  
 cî convincunt, quando scribunt: Panem esse  
 corpus CHRISTI verum naturale &c.  
 rurûscq; adferunt, id esse eiusmodi Sacramen-  
 talem locutionem, qua dicatur corpus CHRIS-  
 TI adesse sp̄ ritualiter, efficaciter & vere. Per  
 quam sanè phrasin spiritualis prælentiæ, ipsi  
 fatentur alibi, se excludere à Sacramento, præ-  
 sentiam personæ CHRISTI, quia dixerit  
 accepto pane, Hoc est corpus meum: non au-  
 tem hoc ego sum. Item excludunt per eam  
 præsentiam carnis CHRISTI realem &  
 substantialem, addita hac ratione: quia iam  
 cessaret esse Sacramentum. Quod si de senten-  
 tia ipsorum spirituale corpus CHRISTI  
 in S. Coena manducatur: Sequetur etiam spi-  
 rituale pro nobis traditum esse corpus. Iudi-  
 cet igitur DEVS, iudicet Ecclesia orthodo-  
 xa, num rem ipsam huius Sacramenti, & sub-  
 stantialia eius, ut & solidam redemptionis no-  
 stræ consolationem inde dependentem, non  
 pernegent,

VIII, Narq

## DE OCTAVO CAPITE

VIII. Narrant, *Multos intelligentes* & *pios viros, rectè & in bonam partem id accepisse, quod corporis CHRISTI præsentiam spiritualem & efficacem, in S. Cœna statuunt.* Id facilè concedimus de ijs, qui eiusdem cum ipsis sunt farinae Sacramentarijs, quos tamen nondum apertè, *ut homines ingenuos decebat,* nominant. Nos autem perstringunt, *ut importunos quosdam, & minus quietos homines, à quibus illa variè exagitentur.* Cur autem contra corruptelas id jure fiat, & fieri debeat, nuper ex regula orthodoxorum, verbis Lutheri, & exemplo D. Pauli ostensum est. Qua verò etiam fide & veritate, rursus possunt scribere, *Se verbis CHRISTI simpliciter credere, & ab his non discedere, quæ Evangelistæ docent & exponunt, & D. Paulus explicat?* Nonne enim hi sacri Scriptores, ut testes omni exceptione maiores, magno consensu docent: **CHRISTVM** Dominum in hoc suo Testamento locutum esse, de corpore suo pro nobis tradito, quod profectò verum proprium & substantiale est corpus **CHRISTI**; & de sanguine suo, qui pro nobis est effusus, in remissionem peccatorum. Nequaquam igitur est dubitandum, in usu S. Cœnæ velcentibus, dato pane dari corpus eius, pro nobis traditum, & dato calice, dari san-

ri sano

## NOTATIONES.

ri sanguinem eius, pro peccatis nostris effusum.  
Non enim de fructu tantum, sed etiam de sub-  
stantia Coenæ Domini, hæc verba debent &  
possunt accipi. Inprimis verò Apologia Confes-  
sionis nostræ, deducit nos ad interpretatio-  
nem verborum Coenæ, quæ à D. Paulo tra-  
dita est, ubi ait : Poculum benedictionis, cui  
benedicimus, nonne *κρῖνωνία* sanguinis Chris-  
ti est ? Panis quem frangimus nonne *κρῖνωνίας*  
corporis Christi est ? Etsi autem vocabulum  
*κρῖνωνίας* est *πολύσημεν* : tamen hoc loco si-  
gnificat participationem, seu perceptionem rei  
communicatæ, ut docet ipse contextus. Hinc  
ergò sic argumentatur Apologia : Cum Pau-  
lus dicit panem esse participationem corporis  
Domini, sequeretur panem non esse participa-  
tionem corporis, sed tantum Spiritus CHRI-  
STI, si non adesset verè corpus Domini. Quod  
si igitur aperte, & sine furo, Antagonistæ ver-  
bis CHRISTI ( ut hîc repetendo addunt )  
sine ulla dubitatione, fidem haberent, panem  
videlicet esse corpus eius, & vinum sanguinem  
ipsius, evidentissimis argumentis huiusmodi,  
inde petitis, non contradicerent, sed in iisdem  
nobiscum acquiescerent. Quod dum facere  
recusant, nunquam quod vera loquantur, nos  
bis persuadebunt. Quod præterea hîc addunt,  
Se de asserta localitate corporis CHRISTI,

P

& ne

## DE OCTAVO CAPITE

& neglecta exaltatione & glorificatione ineffabili, eiusdem corporis, à me injustissime criminatos esse, cum de eo cap. 1. discrepantiæ, Notatione VII. dictum sit, plura nunc atterere nolo. Illud etiam quod quærunt, *Quid Articuli, de exaltatione Humanae naturæ in CHRISTO faciant, ad præsentiam CHRISTI in Cæna corporalem, id nuper Notat, III. capituli huius declaratum est.*

IX. Subijciunt pag. 157. Sic etiam illud nobis falso ascribit, & calumnia scelerata, Quod CHRISTVM faciamus minime veracem, & falsitatis eum arguamus, quid nolimus dicere, corporaliter eum adesse. Sed quid faciet suo Luchero, qui multò darius de re locutus est? Sic enim in Responsione ad schedulam inhibitionis scribit, Turpissimum fœdissimumq; est opprobrium, vel unum inveniri Episcopum, qui Sacramentum nesciat, à corpore CHRISTI distinguere, quæ sic differunt, ut nec Oriens nec Occidens tanto distinguantur. Neq; verò CHRISTVS unquam dixit, corpus & sanguinem suum, corporaliter fore vel esse in sua Cæna? Et cum nunquam hoc dixerit uspiam, nimirum rectius multò dicetur de Hederico, quod ipse nobis tribuit. Hæc Respondentes VValdensici, Num verò ipsi

## NOTATIONES.

rò ipsi putant, Lectores fore stipites aut truncos, qui contra manifestam veritatem, id æstimari sint, pro scelerata calumnia, quod ita se habere res ipsa loquitur. Cum enim non desinant pernegare, verba institutionis Cœnæ Dominicæ, de substantiali corporis & sanguinis CHRISTI præsentia, & orali eius sumptione, accipienda esse, nondum video, quo pacto ab hac culpa vacui sint, aut esse possint, quod CHRISTVM minimè veracem faciant, & falsitatis eum arguant. Viderint etiã ipsi Conviciatores, qua scelerata sophistica addant, meum Lutherum, multò durius de re locutum esse. Vnde verò probabunt, eum quando scripsit, Sacramentum & corpus CHRISTI sic differre, ut nec Oriens nec Occidens tanto distinguantur &c. hoc voluisse, quod corpus & sanguis CHRISTI, à pane & vino S. Cœnæ, tanto absint intervallo, quanto abest terra ab altissimis cœlis, & ideò in eadem Cœna, nihil aliud ore sumi, quàm panem & vinum: Id quod se cum Sacramentarijs, ita velle & statuere, hoc ipso argumento testatum faciunt. Legantur autem verba Lutheri, ibidem præmissa, quæ satis perspicuè ostendunt, eum non de corpore CHRISTI, sed de speciebus vel partibus Sacramenti differere, quando utramq̃, ut nominabant, speciem, contra διαίρεσιν καὶ ἀρτο-

## DE OCTAVO CAPITE

*λατρία* Antichristicam, constanter asseverabat, à CHRISTO institutam esse &c. Ibi-  
dem, quid tunc Fratres Bohœmici, senserint  
de S. Cœna indicat, ubi scribit, Pighardos  
CHRISTVM negare, sub ulla specie con-  
tineri &c. Quod addunt, nunquam CHRIS-  
TVM dixisse, corpus & sanguinem suum,  
corporaliter fore vel esse in sua Cœna, quodq;  
contendunt, mihi rectius id tribui, quod  
CHRISTVM faciam minime veracem  
&c. non me sed potius omnium Augustanae  
Confessionis Ecclesiarum verba, quæ Artic-  
ulo X. Apologiæ haberi, nuper ostendi, per  
meum latus, insigni κακωνθεία oppugnant.

X. Scribunt pag. 158. Quod autem  
*existimat*, nos tantum solam spiritualem man-  
ducationem, corporis & sanguinis Domini sta-  
tuere, in eo vehementer errat, cum planè con-  
slet omnibus auditoribus nostris, ex multis &  
sermonibus & scriptis nostrorum, quod sem-  
per doceamus & asseramus, duplicem mandu-  
cationem corporis & sanguinis Domini, unam  
spiritualem assiduam, alteram Sacramentalem,  
in hac videlicet sacra administratione, à Chri-  
sto institutam &c. Hæc Respondentes, qui  
ad auditores quidem hîc suos provocant, sed  
tamen non aliquam, vel Confessionem, vel  
Apologiam, publicè à se editam nominant, in  
qua

## NOTATIONES.

qua ut par erat, & res postulabat, in tractatione huius Articuli, de duplici manducatione, corporis & sanguinis CHRISTI, dextrè & apertè quicquam proposuerint, Vnde nondum hac ratione probant, me vehementer hîc errare, & id requirere, quod de ipsis mihi antea constet, siquidem nihil de corporali & orali manducatione, de qua quæstio est, & à qua modus physicus & sensus Capernaiticus atq; Papisticus excluditur, respondent, sed corporalem præsentiam obstinatè negando, eandem corporalem & oralem manducationem pernegent. Id quod jam olim etiam in Confessione, Vladislao Regi Vngariæ oblata, & in Excusatione eiusdem, verbosius ipsos pernegasse constat. Quod si igitur syncerè omninò, & sine omni fraude & dolo ( ut repetendo hîc iterum subiiciunt ) verbum DEI tractarèt, omninò clarius & plenius id exposuissent, Nam non satis est, quod Spiritualem vocant, quæ sit assidua, nec addunt quibus sit propria, ut inter dignos & indignos distinguant. Quod verò dicunt alteram Sacramentalem, in hac videlicet sacra administratione, à CHRISTO institutam, quid hoc aliud est, quam qualiscunq; vocabuli interpretatio. Quare omisis tandem verborum strophis & tot contradictorijs, exponendum erit ab ipsis, quid tam per unionem, quàm per manducationem Sacramentalem intelligant,

## DE OCTAVO CAPITE

nempe an hanc unionem ex natura signorum  
definiant, & de unionem significativa accipiant:  
An verò nobiscum & cum formula Confessi  
sionis Anni 1536. concedant, Sacramentali  
unionem, panem esse corpus CHRISTI, hoc  
est, quod porrecto pane, sentiant simul adesse,  
& verè exhiberi corpus CHRISTI, idemq̃  
verum corpus, ut & sanguinem Domini por  
rigi etiam indignis, & ab ñsdem sumi: Sic  
quoq̃ respondendum eis erat, de Sacramen  
tali manducatione, Num eam referant ad sola  
signa vel Elementa, panem & vinum, quæ Or  
re manducantur: Vel num in, cum, aut sub si  
gnis, sive elementis illis, pane & vino, res si  
gnatas, verum & substantiale corpus, & ver  
um atq̃ substantialem sanguinem CHRIS  
TI, hîc in terris, ubi secundum institutionem  
eius sacra Coena celebratur, ore sumi & perci  
pi statuunt. Ex his nisi ingenuè, absq̃ general  
itatibus, ambiguitatibus & sopherica se expe  
diuerint, nunquã nobis persuadebũt, se verbis  
Coenæ sacrae, ut videri volunt, insistere: præ  
sertim cum ad Responsum Bohœmicam  
D. Luthero oppositam, & VViclevi falsis dog  
matibus, de S. Coena correspondentem, ab  
initio huius Articuli provocent. Nos sanè  
apertè statuimus, Sacramentalem quidem  
Manducationem, quæ nobis quoq̃ est corpor  
ralis, & oralis, tam signorum quàm rerum si  
gnatarum, dignis & indignis communem  
esse:



## NOTATIONES

esse: Spiritualem verò, quæ & fidei est, dignor  
rum esse propriam.

XI Fasum omninò est, quod scri-  
bunt pag. 160. *Cum ipsis idem dicere, univer-  
sam orthodoxam antiquitatem, videlicet,  
quod toties in hoc capite inculcarunt, Christi  
in sacra Cœna præsentiam corporalem, nequa-  
quam credendam, sed pernegandam esse.*  
Nam præter & post firmum atq; immotum,  
præsentia huius fundamentum, ex ipsis verbis  
institutionis deductum, Apologia Confessio-  
nis nostræ, ad consentum orthodoxorum scri-  
ptorum, Ecclesiæ Græcæ & Latinæ, vetustior  
ris & recentioris, provocatis verbis. E-  
comperimus, non tantum Romanam Eccle-  
siam affirmare, corporalem præsentiam CHRIS-  
TI, sed idem & nunc sentire, & olim sensisse  
Græcam Ecclesiam &c. Vitandæ autem pro-  
lixitatis gratia, orthodoxorum tam Græco-  
rum quàm Latinorum sententias, nunc non  
recenseo, præsertim cum illæ iam pridem, à  
primarijs repurgatæ hoc tempore, Euangeli-  
cæ doctrinæ propugnatoribus, Luthero &  
Melanthane, peculiariter collectæ sint, & inde  
requiri possint. Hinc igitur cognoscere li-  
bit, Ecclesiasticos Scriptores illos, apertè nos-  
trum Affirmativam, de corporali præsen-  
tia CHRISTI, aut substantialibus sacrae  
Cœnæ, & minimè Antagonistarum Negati-  
vam

## DE OCTAVO CAPITE

vam defendisse, ideoq̄ doctrinam Ecclesiarum nostrarum, non esse recens figmentum, sed veracem Catholicæ Ecclesiæ omnium temporum consensum.

XII. Quod Fratres Bohœmici ad Calvinum & Bezam, patrocini & suffragiorum, de h̄isdem dogmatibus, quæ cum ipsis, & maximè in hoc de Sacra Cœna loco, profitentur causa, hætenus confugerint, minimè negant, licet ea exprimere nolint. Vnde colligi potest, qua fide nihilominus ad Lutherum (cuius h̄ic sub finem capituli rursus meminere) & nostrarum quoq̄ Ecclesiarum Doctores, hætenus provocarint, cum probè noviverint, in aliquot controversis capitibus, hætenus propositis, non unum & eundem fuisse & esse, inter utrosq̄ illos, & successores eorum consensum, & ideo non diversarum partium simul suffragia ingenuè quæri potuisse, & Calvinum omisso, in Confessione Lutheri acquiescendum fuisse. Addideram verò in priore scripto illud quoq̄, Calvinum quid desideraret in ipsis, haud obscure in Epistolis suis exposuisse. Id quod ipsi in hac Responsione cum alijs, data opera dissimulant. Legatur autem Epistola Calvini Num. 298. in qua significat, se suo & Collegarum nomine scripsisse, in VValdensica Confessione, brevitatem esse & obscuram & ambiguam, quæ certiore docens

## NOTATIONES.

docendi, forma indigeat. Deinde in Apologia, nimium esse vehementiæ & feruoris, contra eos omnes, qui præciso genere loquendi non contenti, lucem sanæ doctrinæ explanationis desiderant in ipsis, ubi asserunt: Panem esse corpus CHRISTI. Ibidem addit: Apologia vestra promiscuè, & absq; ullo delectu, multos pios, doctos homines, malè sententiis involuit. Nam si vobis propositum erat, quorundam errorem impetere, distinctione opus fuit, ne in idem crimen traherentur innoxij. Genevæ pridie Cal. Iulij M. D. LX. Ibidem haud abs re ipsos repræhendit, quod Antithesin, de primarijs quibusdam doctrinæ Locis, in Confessione sua non adiçiant, & sic scribit: Spiritus phreneticos, qui in dissipatione tumultuandi, & omnia turbandi, licentiam sibi sumunt, facilè compesceret, tot Ecclesiarum autoritas, si aliæ alias iuvarent. Nunc pij Fratres vestro suffragio destituti, gravius laborant. Si Stancari, Georgij Blandratae, & aliorum turbulentos impetus in Poloniam convertit Sathan, nonne vestrum est succurrere? Si negligitis, videte ne fortè vobis aliquando desint Fratrum subsidia. Neq; enim semper in manu vestra erit, certamina effugere &c. Item legatur eiusdem Epistola 271. in qua disertis verbis testatur, sibi improbari Coelibatum, quem VValdensium Præpositi, à Ministris verbi, etiam lege præscripta requirent,

## DE OCTAVO CAPITE

rant, ubi ad plerasq; obiectiones ipsorum de eodem capite simul respondet. Maiorem igitur Tenebriones isti VValdensici, quam Calviniani reprehensionem merentur, quod non solum in pluribus capitibus, ut sunt de Ecclesia, de Ministris, de mediata vocatione, & stipendijs eorum, de disciplina, de delictis articulatum in privata Confessione aperiendis, de Coelibatu &c. gravius impingant, sed quod non etiam ita palam, aperte ac disertè, quid de re Sacramentaria sentiant, ubiq; exponant, sicut in priore scripto ostendi. Viderint igitur, quam verè scribant, *Quod sincerè omninò, & sine omni fraude & dolo verbum DEI tractent.*

••(?)••



## DE CAPITE NONO NON DISCREPANTIÆ, nempe ex loco de Imaginibus, Notationes.

**P**RIMA, De hoc capite *περί  
μυόν* est, Num ferendum sit, ut Christiana libertas, retinendi adiaphora, nempe  
Imag

## NOTATIONES.

Imagines, picturas aut alias res externas, Ecclesiae eripiatur: Vel num necessario eadem adiaphora sint abolenda, & qui hoc nolint, propterea de idolatria, & violato DEI mandato accusari debeant? In meo sane scripto, opinionem cultus, à nobis longe abesse, his verbis diserte ostendi: Quod universo orbi notissimum jam esse coepit, post repurgatam DEI beneficio doctrinam, in Ecclesiis nostrae Confessionis, non solum idolatriam, & superstiosum omnem imaginum & statuarum cultum, sed & opinionem de illis impiam, è medio sublatam esse, & populum ita informatum, ut nemo amplius reperiat, qui vel aliquo modo, divino cultu imagines afficere, aut eis hunc tribuere velit. Deinde quod nec eam, quae hic vitanda est, necessitatem statuamus, indicant sequentia: Tolerantur autem imagines inter nos, & in templis, in quibus conventus publici habentur ideò, quod per se non sit peccatum, sed ἀδιάφορον res indifferens, adeòq; libera Christianis, habere imagines, & monumenta rerum gestarum, sicut idem Apologia Augustanae Confessionis nostrae, Articulo VII. & in Tractatu de Sacrificiis, inter alia indicat. Adduntur quaedam rationes, ut quod retineantur, propter usum historicum, quo rudiores de rebus gestis, & de exemplis, vel praemiorum vel poenarum, utiliter commoneant. Deinde ut praeter ornatum externum,

num,

## DE NONO CAPITE

num, sint adminicula memoriæ, quia sicut  
scriptionibus, aut literarum notis utimur, ita  
& imaginibus, memoriæ causa uti licitum esse.  
Hanc eandem sententiam, locus D. Lutheri à  
me citatus, perspicue comprobatur, præter id  
quod distinctionem utilem, inter tolerabiles  
picturas, & non tolerabiles tradit, & objectio-  
nis, quæ maxima ex parte, à Respondenti-  
bus meis odiosissime urgetur, solutionem  
monstrat. Contra hanc igitur orthodoxam,  
Ecclesiarum nostrarum doctrinam, hi Anta-  
gonistæ regerunt, *Imagines prorsus esse pro-  
hibitæ, & ideò necessario abolendas*, non ha-  
bita ratione aliqua eius hypothesis, qua Apo-  
logia nostra, tum demum imagines rejicien-  
das, & ad Antichristi colluviem relegandas es-  
se statuit, quando ut omninò necessariæ, & cul-  
tus divini causa obtruduntur.

I I. Scribunt igitur pag. 162.  
*Novas divorum imagines, aut statuas ullas, in  
Ecclesiis nostris, nos nequaquam pingi & ex-  
trui curamus, multo minus colimus. Utrumq;  
enim prohibent verba legis divinæ, Primum,  
Non facies tibi &c. Secundò, Non adorabis  
neq; coles. Et iterum, Cave ne quando obli-  
viscaris pacti Iehovæ DEI tui, & facias ti-  
bi sculptam imaginem. Hæc Respondentes,  
De his dictis, & genuina eorum interpretatio-  
ne, cum*

## NOTATIONES.

ne, cum post D Lutherum, prolixè nostrarum partium Theologi differuerint, nunc brevissimè hoc tantum addo, præcedentia verba, & quæ cum illis cohærent, sequentia id testari, quod non simpliciter omnes imagines hîc prohibeantur, sed illæ, quæ pro idolis habentur, & quæ adorantur. Nam id quod proxime præmittitur præceptum: Non habebis Deos alienos coram me, indicat nihil eorum faciendum, quod loco DEI, & cum vero DEO colatur. Sic & sequens particula, Non adorabis ea, neq; coles, evincit hunc prohibitionis imaginum, & sculptilium esse scopum, ne divinus eis cultus & honos tribuatur. Eodem capite v. 23. diserte indicatur, quales statuas DEVS extrui severiter prohibeat, ubi ait: Non facietis Deos argenteos: nec Deos aureos facietis vobis. Idem declarant verba Levitici 19. v. 4. Nolite converti ad idola, nec Deos conflatiles faciatis vobis: Ego Iehovah DEVS vester &c. Alias verò, & extra adorationem, & cultum idolatricum, DEVS ipse imagines admisit, ut de picturis in tabernaculo, in templo Salomonis, in regia domo & solio, abunde constat. Quod si igitur simpliciter in se vel per se, omnes imagines, primo Decalogi præcepto, aut verbis ei coherentibus, prohibitaessent, minimè DEUS in tabernaculo & templo, sibi consecrato, & inter Leviticos cultus, iisdem locum relinquit

com

## DE NONO CAPITE

concessisset. Nam quicquid in se peccatum est, in eo nihil à DEO admittitur, multoq; minus præcipitur aut postulatur.

III. Subijciunt eadem pag. *Vsum quoq; nullum huius rei, nec utilitatem ullam videmus illud enim nihil est, quod dicit, Imaginibus rudiores utiliter commonefieri, ut facilius recordentur, & tanquam contemplantur animo ea, quorum imagines oculis cernunt. Potest enim hoc ipsum, atq; debet etiam omnino fieri, & rectius quidem multò, ex auditione verbi divini, & usu Sacramentorum Christi, nec non pijs colloquijs, & institutione privata. Hoc enim ipse DEVS ordinavit, & ad hunc finem usurpari mandavit: illud verò graviter & severè prohibuit. Hactenus Respondentes, qui verbis istis prorsus tollunt, historicum imaginum & picturarum usum, contra manifesta sacrae Scripturae dicta, & exempla, è quibus constat, DEVM ipsum non solum verbo, sed quandoq; picturis etiam populo suo voluisse proponi, quod quam maximè ipsis curæ esse voluit, ut Ezech. 4. mox ab initio capitis, & Habac. 2. v. 2. videre licet, Præterea in scriptis novi Testamenti, Galat. 3. Apostolus, ubi meminit suæ de CHRISTO crucifixo concionis, non veretur uti similitudine, depictæ imaginis CHRISTI, cum*  
mox,



## NOTATIONES.

mox, in exordio capitis sic eos compellat:  
Amentes Galatæ, quis vos fascinavit, ut non  
crederetis veritati, quibus præ oculis IESVS  
CHRISTVS ante fuit depictus, inter vos cru-  
cifixus. Quæ posterior particula, in versione,  
lingua Syriaca, CHRISTO Domino ma-  
terna, ab ipso & Apostolis antiquitus usurpa-  
ta, Hebraismo & anadiplosi emphatica sic ef-  
fertur. Ecce quasi figurando figuratus erat,  
ante oculos vestros, IESCHVA CHRI-  
STVS crucifixus. Ostendit enim Galatas,  
tam doctrinam CHRISTI, plenè expoli-  
tam, confirmatamq; à se primum accepisse,  
quam ipsummet CHRISTVM coram, an-  
te oculos, ad eorum salutem Crucifixum, a  
deoq; expressè representatum, contemplatos  
esse. Non dicam de eo, quod omnes res cor-  
poræ, à DEO creatæ, suis constant figuris,  
formis & imaginibus, quas ipse eiusmodi li-  
neamentis non effinxisset, si quæcunq; imagi-  
nes, loco abominationis ab ipso haberentur.  
Sic etiam DEVS ipse Iohanni, in tota Apo-  
calypsi Statum Ecclesiæ suæ, ad finem usq;  
mundi, per imagines monstravit, & quasi ob  
oculos pinxit. Nec verò nos etiam ignorā-  
mus, sed omninò statuimus, auditum verbi di-  
vini, & usum Sacramentorum, salutis nostræ,  
& ad colendum DEVM esse necessaria, eius-  
demq; cultus divini partem esse, imagines ve-  
rò & picturas, non habendas esse loco divini  
cultus,

cultus,

## DE NONO CAPITE

cultus, nec esse partem eius, sed ut res medicas & liberas, causa commonefactionis adhiberi posse.

I V. Verbis sequentibus, quibus *Respondentes contendunt imagines, quæ in Ecclesiis nostris tolerantur, incitamento ad idolatriam, & offendiculo nunc vive. tibus, & posteris esse posse,* nihil aliud agunt, quam quod fallacia accidentis ludunt. Etenim picturis & imaginibus id tribuunt, quasi corda humana ad idolatriam flectant, cum tamen hoc fiat, culpa præconum verbi, qui officio suo, in refutanda & damnanda idolatria, rectius maiorisq; fidelitate fungi debent, & nisi hoc fiat, facilis sit lapsus, ad cultus idolatricos, sive adsint imagines, sive desint. Id quod superioribus seculis, ita evenisse certum est, ubi rudis & simplex populus, non per se, aspectu imaginum, sed falsa & impia, Monachorum atq; Sacrificulorum doctrina, ad adorationem, & cultum imaginum est incitatus. Nunc igitur post repurgatam, DEI beneficio, doctrinam, ubi in nostris Ecclesiis, publicè, justo & ingenti zelo inculcatur, quam tetra & execranda sit idolatria imaginum cultus & adoratio, qualis dominante Antichristo in usu fuit, non est ut quisquam offendicula prætendat, quæ ex picturis sint extimescenda, sicut nec opus fuit, ut quisquam ea tunc metueret, quando  
Apo

## NOTATIONES.

Apostolus, certa ratione & conditione concedebat, ut Corinthij idolothytis inter adiaphora habitis, vescerentur.

V. *Dicto Lutheri mala fide abutuntur,* ludendo fallacia secundum quid, ad dictum simpliciter, quia mutilatè citatum, contra mentem eius, hoc detorquent in genere, ad quas cunq; imagines, quod sint prohibitæ, cum tamen proximè præcedentia, abundè evincant, loqui eum solummodo, de imaginibus mendacibus & scandalosis, ut sunt Barbaræ, Margarethæ, Christophori, Catharinæ &c. quas ad idolatriam addit esse confictas, & ideò de illis non tantum quod sint mendaces monendum, sed etiam propter scandalum, penitus tollendas esse edocet. Quæ sententia omninò etiam mea est, & in eo posteritatis habendam esse rationem statuo. Cum autem D. Lutheri autoritatem hinc prætendant, cur non in cæteris, de quibus hinc disputatur, ipsius quoq; observant iudicium & sententiam, quam ego sequor & retineo. Quæ est igitur *Ἀσποφῆ* unam dictorum Lutheri particulam arripere, eaq; defensionis loco abuti, & contra oppugnare reliqua, & pro veris atq; orthodoxis, illa non agnoscere.

VI. Verba Apostoli, quæ citant, loquuntur *de infirmioribus in fide*, quibus alibi cubi parcendum, & videndum est, ne illis si-  
Q mus

## DE NONO CAPITE

mus offendiculo, non verò de hostibus, aut falsis fratribus, quibus in adiaphoris, tempore persecutionis, aut quando veritatis Confessio est edenda, nequaquam est cedendum, nec illa in eorum gratiam, ut impia, aut simpliciter prohibita, sunt abolenda. Sic idem Apostolus, infirmis quidem in fide cedit, observatio-  
ne discriminis ciborum & temporum seu die-  
rum: Pseudoapostolis autem, qui hæc tan-  
quam necessariò, conscientijs imponere vole-  
bant, etiam in rebus per se adiaphoris, cedere  
recusat. Non igitur quòd præterea Antago-  
nistæ addunt, *hîc timendum est, ne committa-  
tur peccatum*, quando non tam de imaginibus  
licitis, quàm de Christiana libertate, in rebus  
medijs propugno. Sed Fraterculi pro more  
hypocritarum, quod peccatum non est, fini-  
gunt esse peccatum. Quod autem nugantur,  
*Me fortè Pontificios metuere, & quod bene-  
volentiam mihi apud eos conciliare studeam,  
aut fortassis putem, templum non esse tem-  
plum, si nullæ ibi sint picturæ vel imagines?*  
cum hæc aliter se habere res ipsa loquatur, &  
quæ præmissa sunt nuper, idem testentur, lon-  
giore refutatione non indigent.

VII. Respondentes subjungunt pag. 165.  
*Quod verò Hedericus scribit: Legem divi-  
nam, & præceptum de imaginibus, Leviticum  
esse.*

## NOTATIONES.

esse, & ad ceremonias tantum & typos pertinere, quæ in illa Iudaica solummodo politia durare debuerint: istam nos sententiam, neutiquam pro vera & orthodoxa habemus: de quo multò plura & luculentius scripserunt alij, quibus hoc loco amplius aliquid addere non videtur operæ precium. Hic non sine crimine falsi & calumnia, citant verba mea, quæ sic habent: Itaq; ea quæ primo Decalogi præcepto addita est, prohibitio faciendõrũ, sculptilium, Leviticam seu ceremonialem esse scimus, & ut id genus omnia alia, abrogatam, salvo tamen semper in eo præcepto, quod naturale seu morale est, ut nempe omnis adoratio, & cultus imaginum, si quæ spectantibus sint obviæ, evitetur. Non enim ipsum præceptum, de imaginibus non colendis, rejicio ad ceremonias, ut alibi quidam ex Sacramentarijs, de nostris quoq; scribunt, nec cultum imaginum inter adiaphora refero, sed omninò graviter prohibitum censeo. At verò CHRISTI & Apostolorum imagines, si nec colantur nec adorentur, tanquam res medias ferri posse judico, & quidem non necessariò, sed ob alias quasdam rationes, quas nuper attigi.

VIII. Augustini dictum quod attinet, manifestum est eum loqui, de non faciendis colendisq; idolis, & ideò frustra adversus

Q 2

me

## DE NONO CAPITE

me citari, cum aliud sit facere imagines, com-  
monefactionis causa, aliud facere idola, quæ  
colantur. Quin verò idem alibi, imaginem  
CHRISTI crucifixi & resuscitati, oculis  
contemplandam proponit, ubi ait: Inspice  
vulnera pendentis, sanguinem morientis, pre-  
cium redimentis, cicatrices resurgentis: Caput  
habet inclinatum ad osculandum, cor aper-  
tum ad diligendum, brachia extensa ad am-  
plexandum, totum corpus expositum, ad re-  
dimendum &c. Idem super Psal. 101. me-  
minit imaginis Pelecani, rostro fodientis pe-  
ctus, & sanguine ex eo manante, pullos suos  
recreantis. Quæ ipsa imago adumbrat, effica-  
ciam passionis CHRISTI, è cuius sacratis-  
simo pectore, in cruce lancea perforato, ema-  
navit sanguis, qui ad vitam æternam nos re-  
focillat. Quid quod etiam toties imago Do-  
mini crucifixi, tam in animo concionantis,  
quàm audientis concipitur, quoties historia  
passionis, in homelijs tractatur.

**I X.** Adñciunt pag. 166. Aliud quoq̃  
est: Si quis ad usum proprium domi suæ, hi-  
storiam rerum gestarum depictam habeat, ubi  
nimirum nemo picturam talem, adorationis il-  
lius, aut venerationis cultu afficit, quàm si in  
templo sive Ecclesia, quæ domus est precatio-  
nis, conspiciantur imagines Sanctorum, Mariæ  
virginis & aliorum. Quomodo verò Res-  
pons

## NOTATIONES.

spondentes, hanc suam distinctionē elicient, ex  
 verbis, quæ Decalogo inseruntur, quod videlicet  
 prohibitæ quidem sint imagines & statuæ, ne  
 prostēt in templis, sed quod nihilominus domi  
 haberi possint: Nonne verò in genere I E  
 HOVAH absq; determinatione ulla loci,  
 in quo habeantur, ait: Non facies tibi sculpti-  
 le &c. Non adorabis ea neq; coles. Sic etiam  
 seipso refutant dicto, quod ex Deuteronomio  
 citant: Maledictus vir ille, qui fecerit sculpti-  
 le & conflatile, abominationem IEHOVAE,  
 opus manuum artificis, etiam si posuerit illud  
 in abscondito. Ergò divorum imagines &  
 statuæ, etiam in privatis ædibus non sunt pin-  
 gendæ, extruendæ & reponendæ. Quod si  
 igitur sibi ipsi, Respondentes contradicere nos  
 sint, necesse est, ut verba illius præcepti, nos  
 hunc sic intelligant, quod non simpliciter,  
 omnes imagines sint interdictæ, sed tantum  
 idolatricæ, & quidem sine respectu locorum,  
 aut ædificiorum, sive in templis, sive in ædi-  
 bus privatis habeantur. Nam alioqui, haud  
 leviter etiam Antecessores ipsorum, in eo deli-  
 querunt, quando in antiquioribus suis Con-  
 fessionibus & Apologia, imaginem S. Marty-  
 ris Iohannis Hufsi, à fronte & à calce pingi &  
 excudi curarunt, & quod tam privatis quàm  
 publicis usibus, eosdem libros exposuerunt,  
 & haud dubiè in ædibus religiosis quoq; suis,  
repon

## DE NONO CAPITE


repositos habent, vel ad illas non rarò eosdem  
secum portare soliti sunt. Quamobrem &  
hæc imago aliquibus, in ruinam, aut offendi-  
culo esse potuit, inter Bohæmos, quibus non  
eadem cum cæteris fuerat scientia, præsertim  
cum in gente illa, multi non sine superstitione,  
festum diem memoriæ eius consecratum, quot  
annis celebrare videantur.

X. Respondentes sequentibus verbis  
arroduct hoc, *Quod quæ sine peccato audiun-  
tur, etiam pingi sine peccato possint.* At verò  
hæc non mea, sed D. Lutheri verba sunt, quæ  
sic habent: *Quis non videt, quod sicut si-  
ne peccato piæ historiæ, etiam cum fructu au-  
ditorum recitantur, ad hunc modum pro-  
pter rudes etiam pingi tales historiæ &  
sculpi possunt, non solum in privatis ædibus,  
sed in publicis locis &c.* Cum igitur Luthe-  
rum carpant, non mirum est, quod mihi non  
parcant. De eo autem quod imagines DEI  
se rejicere sine discrimine indicant, hoc nunc  
addo, quod nec ego nec alij, nostræ Confessi-  
onis Theologi, eas imagines DEI Patris, aut  
S. S. Trinitatis probare soleant, si quis illis  
essentiam DEI, quæ omninò infinita & in-  
compræhensibilis est, delineare aut ob oculos  
statuere tentet. At verò ubi historicè, secun-  
dum revelationum modos, in S. literis, ut Iesa.  
6. Daniel. 7. Matth. 3. &c. expressos, depi-  
ctæ fuer



## NOTATIONES.

etæ fuerint, rejicere eas, aut propterea quempiam  
am judicare, vel damnare nolumus, si modo  
anthropopathia, & revelationes illæ divinæ,  
secundum analogiam fidei, & declarationem  
S. Scripturæ accipiantur, & piè rectèq; consi-  
derentur. Nam & nos nequaquam commenta  
humana (cuius ad finem meminerunt) sed  
ad legem & testimonia divina respicimus,  
& non minus, sed vel magis quàm ipsi, secun-  
dum illa, nos & nostra omnia dirigi oportere,  
& quod huic congruit, id verum fir-  
mumq; consistere sta-  
tuimus.



## DE CAPITE DECI- MO DISCREPANTIÆ, Nempe ex loco de Conjugio Sacer- dotum, contra eorundem impu- rum Coelibatum, No- tationes.

**P** R I M A, Non est hîc quaestio,  
An de vita calibe, & dono continentia  
Q 4 Fratres

## DE DECIMO CAPITE

*Fratres Bohæmici, non satis* ( quod hîc præmittunt ) *dixerint, sed an benè, piè & orthodoxè de his dixerint, & an non potius cum manifesto DEI verbo, cum natura creata, & cum bonis moribus pugnancia, scripserint & docuerint. De Cœlibatu enim nequaquam, quæ S. Scripturæ, aut Confessione Augustinæ ( cum qua hætenus ipsorum Confessio confertur, & ad quam alias provocant ) sunt consentanea, sed quæ ab illa plurimum discrepant, ipsos in Confessionibus suis, ut & alijs libellis scripsisse, abundè constat. Quod igitur addunt, verum non esse, quod non sint cœlibes sponte sua, sed ex præscripto seu lege, velim id cognosci ex verbis, quæ à me allegata sunt, ex recentiore ipsorum Confessione, ubi certè præscribunt hoc : Summo studio id agendum, ut in cœlibe vita, singulari cum contentione, serioq; pietatem exerceant Ministri, & sancti sint &c. Cum ipsdem conferantur, quæ pluribus in antiquiore ipsorum Confessione Articulo de Cœlibatu habentur, ubi omninò eiusmodi Ministrorum, de servando cœlibatu votum urgent, quale Monachi, cum paupertate & obedientiæ voto, ex obligatione præstare jubentur. Ibidem scribunt, Ministrum quo ad matrimonium contrahendum, non esse sui juris, quia se CHRISTO & Ecclesiæ eius, in ministerium devovit, Inprimis*

mis

## NOTATIONES.

mis verò id ostendunt verba ipsorum, quæ habentur in libello de Statu virgineo, quæ ad convincendum perfricta fronte negantes, cogor subiicere: Ea sic habent inter alia: Solum matrimonium profundius seducit, qui enim frangit votum, violat fœdus, qui violat fœdus, violat rationem Ministri, qui violat rationem Ministri, ab eo debet auferri officium Ministri: nam officium sanctificationis, datur sacerdotibus. Item: Non est possibile ei, qui est addictus sanctificationi Ministerij, ut illud possit permutare, nisi per legitimam dispensationem, vel dissolutionem illorum, quibus huius dispensationis plenaria potestas est tributa. Nam si concessum fuerit, ut statum suum pristinum mutet, aliud non potest fieri, quàm ut ab officio deponatur. Ista duo semper conjuncta oportet esse, rationem Ministri, & veritatem officij Ministri, quod si unum auferas, abstuleris alterum quoq; &c. Nonne igitur extremæ est *ἀνομιμία* nota, verba adeò manifesta negare?

II. Ex his Antagonistarum præscriptis, quid aliud hactenus potuit consequi, quàm *publicus contemptus & ludibrium Ministrorum, qui contrahant matrimonium*, quod ipsi temerè hinc quoq; negant? Deinde nonne verba ipsorum formalia, quæ jam recensui, evincunt, *perversa ipsos de Sacerdotibus maritis*

Q 5

judi.

## DE DECIMO CAPITE

judicia, atq; insanos clamores, apud populum  
evomere. Nam conciones quas ad hunc in-  
stituunt, non esse diversas ab his verbis, quæ  
in Confessionibus & libellis ipsorum leguntur,  
quis dubitabit? Unde & D. Auerbeccius,  
idem inter ipsos sic se habere, testatus est pro-  
ximis annis, quibus scripsit: Tyrannidem  
quam VValdensici Seniores, in mileros suos  
alumnos propter conjugium exerceant, ex que-  
relis suorum discipulorum, etiam Rusticis no-  
tam esse. Omitto quod addi posset de eo,  
quod alicubi ex ipsis nonnulli, cœlibes ali-  
quando esse desinant, & contrahant matrimo-  
nium, sed cum ijs, quæ jam ab ipsis fuerant im-  
pregnatæ ( si non eas maturius è contubernijs  
suis, ad alia loca transferunt ) & ideò ante  
tempus puerperæ evadunt &c. Idne igitur est,  
illud vitæ genus, ut hîc dicunt, piè, legitimè &  
honestè mutare?

III. Ut fucum faciant lectoribus, &  
ne videantur cum maioribus suis, in eo etiam  
deliquisse, quod Ministris sine permissu Senio-  
rum, & Ecclesiæ præsidum, vitæ genus mutare  
non sit licitum, referunt hoc ad ordinem de-  
centem, & exempli honestatem, atq; ad do-  
ctrinam, qua ex verbo DEI, ut alias, instrui  
debeant. At verò longè ab his omnibus di-  
versum est illud, quod jam ipsorum verbis re-  
censui: quod non possibile sit ei, qui est ad-  
dictus

## NOTATIONES.

dictus sanctificationi Ministerij, ut illud possit permutare, nisi per legitimam dispensationem, vel dissolutionem illorum, quibus huius dispensationis plenaria potestas est tributa &c. Hæcne igitur sunt ea, quæ doctrinæ, ex verbo DEI petitiæ congruunt, & num illud auctoritatem dispensandi ipsis tribuit in his, in quibus dispensatione non est opus? Dissimilitudo etiam ingens est in eo exemplo, *Quod hic inserunt de Filio, qui sine voluntate & consilio patris, in eiusmodi quoq; negotijs, nihil sua sponte agendum suscipit.* Nam filius non requirit à Patre consensum, ut in eo, quod divinitus institutum & sancitum est, dispensare quicquam aut relaxare velit & debeat, sed ob alias causas, quæ suo loco recitantur, & de quibus etiam Lutherus, quem hic citant, loquitur.

IV. *Provocant ad DEUM iudicem, quod ipsos in hoc capite, Pontificiorum similes, & socios faciam.* Nonne autem Conjugium Sacerdotum, jam pridem una cum illis, & ex auctoritate eorum, scriptis publicis accerrimè oppugnarunt? Unde licet, non eandem plane crudelitatem exercuerint, nec exercere potuerint, tamen palam calculo suo eam approbarunt, & ideò jure omni consentientes cum facientibus, eadem poena digni habentur. Cum igitur ad summum Iudicem me hic dimittant,

mittant,

## DE DECIMO CAPITE

mittant, cogor ipsorum verbis id demonstrare, quæ in Assertionem de Cœlibatu, contra Generosum Dn Persteinium, de Bohœmico conversam, inter alia sic habent: Romana Ecclesia sentit, & Doctores eius scribunt, quamvis maritus ad id vocatus, posset fieri Sacerdos, tamen ut abstineat à fruitione matrimonij, ipse in parochia, ipsa verò in Monasterio habitans, multò magis viduus, non potest ulla ratione, denuò maritus fieri, atq; hoc Romana Ecclesia, cum suis Doctoribus, urget quàm maximè, non posse ullo sacræ Scripturæ loco probari, Sacerdotem non Iudaicum, sed novæ legis debere matrimonium contrahere. Nam etiamsi Paulus Apostolus concedat, maritum ordinare Sacerdotem, non tamen admittit, Sacerdoti jam factò, uxorem ducere. Nam si hoc voluisset, debuisset certè utrunq; Timotheum & Titum, ad ducendam uxorem coegisse, quia cœlibes fuerunt & adolescentes, ut de altero scripserit, Adolescentiam tuam nemo despiciat &c. Item, postea hoc quoq; addunt Romanæ Ecclesiæ Doctores: Matrimonium Sacerdotum nihil differre à lenonum vita, quodq; Sacerdotis uxor sit tantum concubina eius. Quod re ipsa demonstratum est, in Imperiali conventu, post illud Electoris Saxonix bellum, in præsentia Cæsareæ Maiestatis, ubi multi Evangelici Sacerdotes, reliquerunt uxores & liberos, & pro concubinis illas, hos

## NOTATIONES.

hos pro spuris evulgarunt, ex præscripto Episcopi, postquam renunciaissent Sacerdotis. Hactenus VValdensici Assertores, qui cū his dictis, impium de cœlibatu dogma suū, confirmare ausi sint, & Evangelicis, nostrarū Ecclesiarum ministris, non sine *Πιχαιρεκακία*, quasi re præclare gesta insultarint, nec hactenus se graviter post alia in eo deliquisse agnoverint, & ut æquum fuerat, publicè id non retractarint, quid aliud potui de ipsis iudicare, quam quod Apologia Augustanæ Confessionis, de Pontificis, in eandem sententiam scribit, ad quam in priore libello respexi, & quandoq; verbis eius sum usus. Huiusmodi sunt & illa, quæ mox post ea sequuntur, quæ hîc ab ipsis citantur: Itaq; qui cum illis Cœlibatum Sacerdotum, magis quam Conjugium, propugnant, tot execrabilium molitionum & dissipationum, *συμμαχία* habere meritò videri possint &c. Viderint ergò ipsi, quàm verè in ista Assertionem suam loquantur & scribant, de quo DEO iustissimo iudici, rationem reddere miseri, necesse omninò habebunt. Viderint etiam ne in ipsos recidat, Væ illud, quod contra nos, in Epilogo ibidem, expuunt his verbis: Hoc addimus: Væ illis qui ita carnales efficiuntur, & in labore Spiritum exinaniunt, ut pro vili & misera uxore, tam difficilia scandala, in sanctis Synagogis pariant, & sint oneri Ec-

ri Ec-

## DE DECIMO CAPITE

ri Ecclesiæ, cum uxoribus & liberis &c. Quod si aliquis in ipsis esset hac in parte timor DE I, amor veritatis, & synceræ pietatis, procul dubio hæctenus de melioribus erudiri se passi essent, & se dociles præbuissent. Id verò cum etiam num facere recusent, & pessimè contra sanctam DE I ordinationem dicta ac facta insuper defendant, eò minus excusationis, apud DEVM, iudicem iustissimum, & apud rectè sentientes merentur.

V. De illis, quæ subijciunt, iisdem iudicium permitto, *An videlicet verum sit, quod quemadmodum vitam calibem, sic & Conjugium quoq; laudent &c.* Contrarium enim eadem Asseruo, cum Confessionibus ipsorum, palam edocet. Sic etiam de eo, quod seipso laudando scribunt, *Se ea quæ DEVS benigne largiri ipsis dignatur, magna cum humilitate & modestia tueri & conservare,* diversum exempla flagitiorum, contra sextum Decalogi præceptum, inter ipsos admissorum testantur. Addunt Conviciatores, *Me præter officium, imò audacter & impudenter, in aliorum conscientias inquirere.* At verò Apologia Confessionis nostræ evidentius testatur, per illud dogma & legem de Cœlibatu, injici laqueos, conscientijs imbecillorum. Ibidem inseritur: *Nos exempla commemorare possemus,*

mus,



## NOTATIONES.

mus, ubi valdè perturbatæ sunt, piæ quædam  
conscientiæ, propter legitimum usum Conjugij.  
Id malum erat natum, ex opinionibus  
Monachorum, superstitiose laudantium Cœlis  
batum.

V I. Molli admodum brachio tra-  
ctant, atrociam illa & teterrima scelera, nempe  
stupra, fornicationes, adulteria, incoestus, quos  
ex societate ipsorum, multi Præpositi, sive  
Ministri majores & minores, in vita cœlibe  
perpetrarunt. Hos enim præter Pastorem  
Hradissenum, nominibus suis recenset, & suis  
pingit coloribus Paulus Kyrmezerus, quem  
rursus odiose mecum, in hoc capite perstrin-  
gunt. Cur verò non hæc tanta scelera, ut par-  
erat, detestantur, & eos qui hæc perpetrant,  
longè justius, quam contrahentes matrimonii  
um accusant, quod peccent mortaliter, seu de-  
linquant contra conscientiam, amittant gratiam  
am & Spiritum sanctum, & fiant rei iræ DEI,  
& æternæ damnationis. Id quod de testimo-  
nijs sacrae Scripturæ abundè constat, & pluri-  
ma iræ divinæ exempla edocent, qua contra a-  
trocia huiusmodi delicta, in hac etiam vita,  
DEVS atrocibus pœnis animadvertit. Nec  
hoc satis est, quod addunt, id magno dolori  
esse pñs hominibus, sed & remediū divinitus  
ostensum, quibus his tantis malis occurrere  
possint & debeant, obvius, quod dicitur, ulnis  
amplectendum ab ipsis erat, nimirum ut pro-  
pter

## DE DECIMO CAPITE

pter fornicationem, unusquisq; habeat uxorem. De quo, quæ nervosè & luculenter Apologia Confessionis nostræ differit, brevitas studio nunc omitto. Quod autem Antagonistæ hîc obijciunt: *inter Conjuges quoq; multos manifestos, ac scandala & offensiones graves inducentes lapsus conspici*: id quidem ipsi scribunt, sed ad eum modum, & tot exemplis, de synceris verbi Ministris Coniugibus, probare non facilè poterunt, ut de ipsis constet. Nec nos saltem pro lapsibus exiguis, sed pro atrocibus sceleribus, si talia à nostris perpetrentur habemus, nec videmus *qua ratione illa, aliquo modo excusari ad homines possint*, sicut hîc disciplinæ suæ, quam tantoperè jactant obliti, nugantur, sed meritò severè, contra facinorosos animadvertendum censemus.

VII. Ad objectionem, *Quod illi qui in cælibe vita manent, expeditius CHRISTO Domino inserviant &c.* in priore scripto respondi, ubi verba Chrysofomi recensui, quibus docet, qua ratione, vel potius moderatiorne, tam functionibus & studiis sacris vacare, quàm coniugio nobis frui liceat. Idem est declaratum exemplis sanctorum Patrum, Abrahami, Isaac, Iacobi, Iosephi, & reliquorum, qui pluribus S. Scripturæ capitibus, Coniuges, patresfamilias, & multorum liberorum parentes, reiçq; œconomicae administratores descri

## NOTATIONES.

describuntur, & in eo tamen genere vitæ, quantumvis humili & abiectio, ac ut putatur carnali, DEO altissimo castissimoq; admodum probati & accepti fuerunt. Quæ ergo non tantum arrogantia, sed & impudentia erit, plus sibi velle polliceri aut placere, in cœlibe vita, maioremq; velle in ea pietatem exercere, quam sancti homines isti in Coniugio exercuerunt? Quin verò etiam veluti rerum, in hac vita animalium externarum, necessarius edendi, bibendi, dormiendi, sedendi, jacendi, deambulandi usus, sua moderatione, & quidem quotidie adhibitus, pietatis exercitia non impedit: sic etiam matrimonium, p̄is Verbi Ministris, in expediendis sacris, ad officium hoc pertinentibus negotiis, non est obstaculo.

VIII. Respondentes seiplos hîc refutant, quando addunt, *Iisdem qui in cœlibe vita manent, contra animi sententiam, & studium ac laborem accidere, aliquando ut labantur.* Hoc verò est illud, quod etiam monui, in priore scripto, varia eaq; non minora, in cœlibe vita, quam in Coniugio concurrere impedimenta. Nam in primis quod continentia difficultatem attinet, ostendi, rem ipsam docere, & exempla testari, cœlibatum non carere impuris cogitationibus, pravis affectionibus, & crebrioribus libidinum flammis, quibus præter opinionem, illi tandem adeo uruntur &

R

tur &

## DE DECIMO CAPITE

tur & exagitantur, ut plus quam turpia & obscœna committant flagitia, quæ certè Coniugij usu, possunt & solent cohiberi. Quare qui huic supersticiosam præferunt abstinentiam, & propter impedimenta atq; molestias, mariti esse nolunt, de fumo ad flammam, quod dicitur, haud abs re contendere censentur, sicut D. Lutherus quoq; super Genesin meminit. Nihil de eo addo, quod opificia, quibus exercendis, Ministros suos, Antagonistæ occupatos esse volunt, magis ab officijs sacris, quam Coniugium abstrahant, & plus omninò impedimentorum afferant.

**IX.** Ad finem huius capituli, Conviciatores crassa aliquot mendacia iterum, ut in maxima Responsionis parte factum est, adiungunt. Nam i. fingunt, *me miscere & confundere ineptissimè universos, qui simpliciter & quocunq; modo, sine uxoribus, vel extra Coniugium vivunt, cum in Confessione ipsorum, ubi de Ministrorum vita cœlibe agitur, non compræhendantur universi, sed ij tantum, in quibus animadvertitur & apparet, peculiare hoc donum &c.* At verò qui prius scriptum meum, cum his conferre volent, non uno in loco depræhendent me in universum de omnibus haud loqui, sed de plerisque, in quibus inanis continentiae persuasio, & vana eius concurrat iactantia. Hinc addidi, ut probè caveant,

ant,

## NOTATIONES.

ant, ne seipſos ſpecie ac titulo doni illius decipiant, cum res ipſa apud pleroſq̃, ſi non omnes, eius defectum palam, ubi vivunt, teſtetur, præſertim quando obiecta dehortantia, à qualicunq̃ illa continentia eis offeruntur, &c. 2. Fingunt, *Quod factionum ſim cupidus, & de industria, nulla oblata ab ipſis occasione, nec ulla juſta de cauſa, adverſus ipſos conjunxerim me ijs, qui alioqui à me diſſentiant.* Sed ab hac calumnia, præter cœtera, me facile liberant, quæ de Procemio Notat. VIII. XVI. XX. attigi 3. Cavillantur, *Me minime ea, quæ ad ipſos pertinent, cognita & perſpecta habere &c.* Quod hoc nequaquam ſit verum, abundè ea evincunt, quæ itidem de Procemio Notat. IV. XI. & de ſecundo capite discrep. Notat. XI. à me ſunt expoſita. Ac ſané longè certius, publicis ſcriptis, & proprijs Confessionibus ipſorum, quæ ex conciunculis, aut colloquijs, errores quos mordicus defendunt, præter injurias, quibus Eccleſias noſtras afficiunt, recensere potui & debui. Quin verò ipſi omninò, insolenti Reſponſioni ſuæ, ea de me inferuerunt, quæ nequaquam ita ſe habent, quæ antequam ſpargerent, rectius cognita habere, & ut haberent tentare debebant. Eorum igitur quæ ipſi ſolummodo ex ſuſpicionibus, & leviffimis quibusdam rumuſculis perceperunt, & contu-

## DE DECIMO CAPITE

meliosis insectationibus, odiosissimè excepē-  
runt, per ἀναγκαστικῶσιν prolixum texere  
possem Catalogum, nisi illa nunc contrahenda  
esse putarem. 4. Addunt hīc, *Me vix intelli-  
gere, quid aut qualis res sit, de quo agitur,  
continentiæ donum, cum neutiquam hoc mihi  
cordi esse, ostendant ea, quæ adversus ipsos  
hoc loco scribam.* At verò licet, de eiusmodi  
simulata, electitia & Monastica continentia,  
qualem præ se ferunt Ministri VValdensici,  
gloriarī non possim, nec mihi verum illud  
(quod hodie omnino rarum est) & peculiare  
donum continentiaē divinitus contigerit, ta-  
men utor communi lege naturæ, quam DEVS  
instituit. Non enim (ut præterea Apologia  
nostræ Confessionis Augustanæ, de hoc capi-  
te, post multa alia, luculēter differit) vult Deus  
contemni suas ordinationes, suas creaturas. Ita  
vult illos (reliquos, quibus singulare donū con-  
tinentiaē non contigit) castos esse, ut remedio  
divinitus proposito utantur, sicut ita vult vitā  
nostram alere, si cibo, si potu utamur &c. Hāc  
igitur castitatem, quā etiam in Coniugio, DE-  
VS sanctè observare præcipit, hætenus mihi  
cordi fuisse, derisores illos, & oppugnatores,  
non meos solum, sed etiam ordinationis  
divinæ, ita scire oportuit,

DE AP

## NOTATIONES.

# DE APPENDICE, NEMPE DE TESTIMO- NIIS PRAECIPVORVM, IN EC- clesijs Augustanae Confessionis Do- ctorum, quibus VValdenses, se & sua, jam pridem ornare, & palliare conue- verunt, Notatio- nes,

**P** R I M A, Ex ijs, quæ in priori  
scripto meo, ad appendicem inserui, satis  
planum est, D. Lutherum, & alios Augu-  
stanae Confessionis addictos Theologos, quan-  
do in commendandis Antagonistis VValden-  
sibus opellam, eamq; inanem, nec votis ipso-  
rum respondentem adhibuerint, *non tamen  
propterea futilitatis, levitatis & audacis,*  
(cuius neutiquam à me, ut Conviciatores sce-  
lerate hinc fingunt, sed ab ipsis, sicut post alia, ex  
tota hac perspicitur Responsione, intumulantur)  
*accusari, vel ideò iudicium illis adimi posse.*  
Etenim non ex proposito, aut de industria, in  
eo perperam aliquid admiserunt, sed sicut ab  
his hypocritis informati, & ut homines decepti  
sunt, ac decipi potuerunt. Primò igitur com-  
mendarunt ipsos, habita ratione temporis,  
quod circa repurgatam doctrinam incidit.  
Deinde id fecerunt, spe emendationis, & quod  
R 3 statue

## DE APPENDICE

statuerent, tandem id futurum, ut schismata minuerentur, & ipsi æquis rationibus se Ecclesiis nostris, & earum Ministris coniungerent, non verò ut magis ac magis, quemadmodum fit hactenus, se ab illis segregarent, & eas premerent. Præterea commendatiunculis suis ostenderunt, quales ipsos esse exoptarent, etiamsi nondum quæ vellent, de ipsis cognoscerent. Insuper cum D. Lutherus, Sacramentariorum erroribus & alijs, quos ipsi defendunt, semper & constanter in scriptis, in concionibus, in disputationibus, & in lectionibus suis Theologicis, toto vitæ suæ tempore, usq; ad placidam ex his terris migrationem, magno Zelo contradixerit, affirmavi & adhuc affirmo, minimè illum in VValdensicis Antagonistis, id probare potuisse, quod in alijs graviter repræhendit.

I I. *Omniò si hoc tempore, ex synceris istis, quorum hic meminere, Theologis, aliqui superstites essent, non dubitandum, quin procaces hos Conviciatores tractarent ipsi, ita ut merentur. Ab ea enim contradictionis implicatione, à qua ego aperto animo, eos liberare studeo, hi Respondentes, non sine insigni fraude, malicia & impudentia, eosdem involvere audent. Sic nec ipsis ignotum est, in omnibus capitibus, in mea antithesi propositis, minimè Lutherum idem cum ipsis, sed di-*  
ver



## NOTATIONES.

verum sensisse, & tamen eius authoritate, etiam  
reluctante conscientia, huc usq; abuti nondum  
desistunt. Quod etiam non ego tantum, sed  
& ipse Lutherus, *candorem & sinceritatem*  
*in maioribus ipsorum desideraverit*, haud ob-  
scurè significavit, quando censuit ipsos fidem  
suam captivam, in sua lingua tenere, & aliud  
ore profiteri, quàm quod scriberent, atq; le-  
gatos ipsorum coram aliter & verbis, sententi-  
am suam, de CHRISTI in Coena præsen-  
tia exposuisse, & aliter in libello edito adseruis-  
se. Quid verò hodie dicturus erat, si videret  
præfatiunculam suam, Confessioni ipsorum  
postremæ, à Sacramentarijs Vitebergensibus,  
superioribus annis editæ, præfixam esse?  
Quid item pronunciaturus erat, si legeret sen-  
tentiam de S. Coena, Fratrum Moravicornum,  
Polonicis Anno 1558. scripto datam, qua  
post repudiatas loquendi formûlas, Ecclesiis  
nostris vsitatas in, cum & sub pane &c. sub-  
iiciunt: Hoc ego sum, nec de solis nudis pror-  
sus, nec vacuis Symbolis, intelligi ea volu-  
mus: sed revera quod dicitur ita esse: Pa-  
nem corpus, vinum sanguinem Domini. Di-  
cimus tamen spiritualiter. Et ea formula pri-  
mo excludimus à Sacramento, præsentiam  
personæ CHRISTI, quia dicit accepto pa-  
ne, Hoc est corpus meum, non autem hoc es  
ego sum, Item præsentiam carnis CHRISTI

## DE APPENDICE

realem, substantialem, carnalem: quia iam cessaret esse Sacramentum. Quæ singula prolixè Sarmata, in suo de Sacramento Cœnæ Domini scripto, ex historia Iohannis Lasicii, recenset, & oraculorum instar vult haberi, ubi viris Euangelicis, viam ad consensum, post alia per huiusmodi Fratrum Bohœmicorum Responfa, se demonstraturum somniat, cum tamen vix accommodatior, nervosior, & minore pomœrio, quod dicitur, finita Consensio, quam qualis in Formula Concordiæ Anni 1536. de hoc capite compræhensa est, demonstrari possit. Quid denicq; iudicaturus erat Lutherus, si in Responsione adversus me edita, præter alia quàm plurima, à veritate, à se propugnata manifestè aliena, toties corporalem CHRISTI à S. Cœna præsentiam, ab ipsis cum orali manducatione explosam, & pro ea spiritualem assertam esse depræhenderet?

III. Hic iterum, ut supra de Procœmio, *Ad elogium D. Pauli Sperati, de ipsis, dum in Moravia vixit scriptum provocant.* At verò ibidem Notat. XX. omninò contrarium de eo, evinci posse ostendit. Nam tum temporis etiam, cum in Ecclesia eadē doceret, ad quam & ego legitimè postea vocatus sum, colligitur ex literis à D. Luthero ad eum missis, maxime inter alios articulos Picardorum, ut loquitur,

itur,

## NOTATIONES.

tur, errorem de S. Cœna, tum quoque ab eo notatum fuisse, de quo aliter à Legatis ipsorum, se edoctum scribit. Deinde cum idem D. Speratus in Borussia, Episcopi munere fungeretur, Bohœmicis Fratribus, qui passim in oppidis clam docendi, & sacra administrandi partes sibi sumpserant, palam se opposuit, & ne ipsorum schismati, & varijs quibus in sua societate utuntur constitutionibus, ordinationibus & obligationibus, locus relinquere tur, obtinuit. Quis igitur modo amans sic veritatis, non intelligit, perfrictæ frontis esse homines istos, qui nihilominus ausint affirmare, ab hoc Doctore, se elogio quodam esse exornatos.

IV. Addunt, *Ex alijs Sacerdotibus, nonnullos Augustanam etiam Confessionem profitentes, seipsis conjunxisse, & se talium haud exiguum numerum recensere posse &c.* Hic viderint illi, de quibus hic loquuntur, & quos hæc attingunt, qua fide ac conscientia, demumque quibus æquis conditionibus, simul Augustanam & VValdensicam Confessionem, tot Articulis discrepantem profiteri, & ñs qui Ecclesias nostras hæctenus tantopere offendunt, coniungere potuerint, & an non Pseudolutherani potius, quam *γνήσιοι* eiusdem Confessionis nobiscum socij, haberi possint? Sic eius generis plures superioribus annis, tam

R 5

in Saax

## DE APPENDICE

in Saxonia, quàm in alijs locis depræhensi sunt, & adhuc depræhenduntur. Id quidem etiam constat, Sendomiriæ in Polonia, Anno 1570. tres diversas Confessiones, Augustanam, Helveticam & Bohæmicam ( sic enim VValdenficam nominant, cum tamen alia sic Confessio, quam nunc in Bohæmia proficetur, maior pars Ecclesiarum, quæ Confessionistarum nomine compræhenduntur ) in unum chaos mixtas esse, & hac ratione per Syncretismum, socios illarum, in istis locis consensum inijisse, sed certè sine laude & fructu, ut in Tractatu de Ecclesia, D. Benedicti Morgenstern, his annis edito, videre licet. Nondum igitur turpiter nimis, fallor & erro ut ipsi quidem maliciosè hic nugantur ) dum scribo, exterorum tantum elogia, ipsos habere, quia nec hic possunt proferre testimonium, Theologi alicuius celebris, qui sincero pectore, Confessioni Augustanæ addictus fuerit, & dum vel inter Bohæmos & Moravos, vel inter Polonos & Prutenos, aliam Ecclesiam eiusdem Confessionis docuerit, de meliori, quod dicitur nota, eos commendare potuerit.

V. *Quo animo D. Lutherus ipsos initio benevole, ut rursus narrant, tractarit, in superioribus, & Notat, I. huius Appendicis ostensum est. Quod addunt, à nostris se cogi*

## NOTATIONES.

cogi, ut aliquibus in locis, peculiare congrega-  
tiones, & conventus sacros suos habeant,  
de eo ipsa res aliud testatur, quod nimirum  
hoc ipsi, ex animi sui obstinati proposito, ve-  
lint & quærant, ut à nobis & à templis nostris  
separati, peculiare conventus & congregatio-  
nes suas habeant. Qua ergo κακοθymία de  
eo nos accusant? Nec verum est illud, quod  
adsuunt, Lutherum ingenue professum, non ha-  
bere se, quod in ipsis reprehenderet, aut accu-  
saret, in præcipuis fidei Christianæ capitibus,  
sine quibus nemo salutem æternam consequi  
potest. Nam palam & copiose, diversum te-  
statur, scriptum eius, cuius in priore meo libello  
lo, præcipua citavi capita, utpote, de præsen-  
tia veri corporis CHRISTI in S. Coena,  
non aperte ab ipsis expressa, de baptisandis  
infantibus ad futuram fidem, de non confun-  
denda fide cum operibus, & hypocrisi ab his  
removenda, de septem Sacramentis, & de Mi-  
nistrorum Cœlibatu, pugnante cum Euange-  
lio &c. Ibidem in conclusione addit: Indica-  
vi quid mihi videatur adhuc vobis deesse, in in-  
teriore fidei, & doctrinæ conversatione, quam  
libenter in vera puritate, apud vos conspice-  
rem vel audirem. Nonne igitur hæc spectant  
fidei Christianæ Articulos præcipuos, in qui-  
bus D. Lutherus errare manifestò ipsos de-  
monstravit? Sic quod meminerrunt, illum esse  
se pro-

## DE APPENDICE

se professum, nonnulla inter ipsos melius & re-  
Etius, quàm apud nos esse constituta, addere de-  
bebant, qua de re locutus sit, videlicet, quod  
apud nos tum quidem temporis, tam bono  
ordine in externa distributione Sacramenti,  
nō omnia, ut apud ipsos, cōstituta fuerint & c.  
Quod etiam, ut narrare pergunt, excusaverit  
se & oraverit, ne ita acciperentur, & in illam  
sententiam scripta eius, ac si cupidus esset re-  
præhendi, ostentum est antea, quo animo  
tunc id fecerit, licet magno alias Zelo, in re,  
præhendendis vel refutandis sectarijs, & fana-  
ticis sit usus. Nec nobis est propositum, quod  
ferrum vel ignem adversus nos invicem ex-  
pedire cupiamus, sed Scripturam, utriq; simul  
audire volumus, & sic omninò Lutheri vesti-  
gij infistimus.

V I. Respondentes verba hæc pag.  
174. subiiciunt: Seipsum quoq; (Lutherus)  
iudicio nostrorum subiiciebat, & ostendi sibi  
à nostris ea petebat, in quibus videretur ipsis  
errare. Quicquid deniq; antea, occasione pri-  
orum Colloquiorum, durius in nostros dixe-  
rat, ea universa deinceps mutabat & corrige-  
bat, id quod & Proœmium ipsius, Confessione  
nostræ additum, quod una cum Confessione ea,  
ipse quoq; typis curavit exprimi. luculentè de-  
monstrat, atq; hoc idem Proœmium, ut poste-  
rius

## NOTATIONES.

rius ac recentius, omnia priora scripta & ser-  
mones ipsius de nobis alienos supprimit, atq;  
etiam tollit funditus. Hæc Antagonistæ. Cum  
autem nimis calidis sint mendacijs referta, pro-  
voco & ego ad postremum de ipsis à Luthero  
scriptum Præcæmium, quod extat Tomo VI.  
Ihenensi Germanico fol. 113. quod latinè  
redditum, Tractatui suo D. Benedictus Mor-  
genstern inleruit. Ex eius enim toto contextu,  
ne minimū quidem istorū omnium, de quibus  
adeò audaci impudētia ipsi nugātur, potest pro-  
bari, quod videlicet Lutherus seipsū absq; re-  
spectu aliquo, iudicio VValdensicorum Mini-  
strorum subiecerit, quod petierit sibi ostendi  
ea, in quibus videretur ipsis errare, quod mu-  
taverit & correxerit universa, quæ durius in  
iplos dixerat, quod denicq; omnia priora scripta  
& sermones suos, de ipsis alienos, hac Præfa-  
tione suppresserit, atq; etiam funditus sustule-  
rit. Etenim contrarium prorsus ex occasione,  
qua illa fuit scripta, & ex singulis eius mem-  
bris & periodis, abundè perspicitur. Occas-  
io hæc fuit, quod Seniores Fratrum Bohæmi-  
corum, varijs Confessionibus! & Apologijs  
suis, excusis & recusis, non acquieverunt, sed  
post tot alias novam, Germanico idiomate  
scriptam, Luthero obtulerunt. Hæc cum mi-  
nus, quàm Latina, eodem anno edita, esset  
sincera & orthodoxa, sicut Articulus VI.  
VIII. &

*Walden*

## DE APPENDICE

VIII. & X. indicat, hoc Proœmium Lutherus præmisit, ut vel hoc pacto, adhuc Fratres illos, ad saniolem & humiliorem mentē reduceret, aut si nihil apud hos Suffenos, sua tantum magnificentes & prædicantes obtineret, saltem simpliciores præmoneret, ut cautius ipsorum scripta legerent. Nam quod minimè approbaverit ea, quæ à forma sanorum verborū, ut in cœteris, ita & Germanica hac Confessione ipsorū aliena concurrebant, inde manifestissimum est, quod hic scribit, se tam ex libris ipsorum, quàm ex colloquijs depræhendisse, obscuras & ineptas Fratrum, in negotio Sacramentorum & fidei phrasas, de quibus paulò post disertè subjicit, quod non possit modum istum loquendi recipere. Deinde notata hac phrasium discrepantia, in re ipsa ( nondum scribit in fundamento ) eos nobiscum sentire & credere, quod in Sacramento verum corpus & sanguis CHRISTI ore accipiantur, tunc quidem admisit, pro ut ipsi ἐπιμαρτυροῦντες ei hoc persuaserunt. At verò Lutherum delusum fuisse, tam cœtera ipsorum scripta, quàm edita adversus me Responsio evincit, ubi nequaquam ore, corpus & sanguinem CHRISTI in S. Cœna, sed spiritualiter percipi agnoscunt, & corporalem CHRISTI præsentiam, inde prorsus removent, ut supra ostensum est. Præterea nec hoc voluit probare



## NOTATIONES.

bare Lutherus, quod non desisterent, se ac coe-  
 tus suos à nobis separare & nostros premere,  
 cum quibus tamen toties, consensum quærere  
 viderentur. Hinc inter alia pia & sancta vo-  
 ta, hoc spectare se indicat, ut sectæ ac schisma-  
 ta minuantur, & ex parte unanimes, in una  
 sententia & spiritu, coalescere possimus. Sed  
 hoc Antagonistis VValdensicis in istis qui-  
 dem, in quibus ego vixi propè ipsos locis,  
 nunquam cordi fuisse, res ipsa ad hunc usq[ue]  
 diem edocet. Inprimis verò in hac ultima Præ-  
 fatione, disertè de Articulis, ad fundamentum  
 Religionis Christianæ pertinentibus, quod in  
 prioribus suis, olim ad ipsos scriptis inseruit,  
 hic etiam aperte repetit: Nostra, nempe Lu-  
 therana, de his dogmata, esse clariora, certiora  
 ac puriora. Et tamen Respondentes mei, adeò  
 audaci *ωγενεία* hîc fingunt, eum omnia pris-  
 ora scripta, & sermones suos de ipsis alienos  
 suppressisse. Deniq[ue] Lutherus exoptans, ut re-  
 ipsa præstarent humilitatem illam, quam ver-  
 bis tum simularunt, addit: Si aliquis erit, cui  
 in hoc libello non satisfactum, is consideret,  
 quàm humiliter, se ad omnia offerant. Item,  
 Cum ipsos censuerit arundinem quassatam, &  
 linum fumigans esse, nequaquam pro Magi-  
 stris fidei, quales quidem ipsi hactenus videri  
 cupiunt, sed in numero quasi Tyronum, &  
 infirmiorum ipsos haberi voluit. Eant nunc  
 Respondentes mei, & plenis decantent buccis,  
Luthe

## DE APPENDICE

Lutherum in hoc Proœmio, ea quæ durius in ipsos dixerat, mutasse & correxisse, imò etiam omnia de ipsis aliena suppressisse, & funditus sustulisse. Necessè est autem ut prius Lectores faciant stipites & truncos, aut saltem offam in fauces eorum inijciant, priusquam illis persuadeant, ut ipsis in his fidem habeant. Hinc etiam colligi potest, quibus technis, calumnijs ac mendacijs, in exagitando meo scripto hæcenus sint usi, quodq; tali tantaq; stropharum, cavillationum, & calumniarum turpitudine, sibiipsis sempiternam ignominiaë notam inurant.

VII. *AEgerrimè ferunt, quod censoriam auctoritatem mihi vendicaverim, ut notarem, examinarem & exagitarem ipsos miseros idiotas & opifices, quales mihi ipsi depinxerim. Sed graves omninò & justas eius rei causas cum haud semel recensuerim, nolo eandem tundere incudem. Nec ipsos puto habendos inter eos qui sint ἀνεύθυντοι. Quod verò ad alios quoq; detorquent, & mihi fastum & impudentiam in eo tribuunt, nequaquam vulnerat bonam meam conscientiam opprobrium (ut cum Augustino loquar) conviciatorum. Res enim ipsa in priore, & hoc meo scripto, abundè testatur, me magnos ac excellentes viros, eosq; orthodoxos, nequaquam notare, examinare & exagitare, sed me eundem*

## NOTATIONES.

eundem in priore doctrina consensum, cum  
ipsis, unicé amplecti, ad eundem subinde pro-  
vocare, & adversus contradicentes, pro ta-  
lento mihi concedito propugnare. De his  
autem Antagonistis meis, manifestissimum est,  
ipsum non solum viros huiusmodi excellentes,  
& sanam eorum doctrinam, per meum latus,  
in Responsione sua oppugnando, quodam fa-  
ctu & supercilio subinde exagitare, sed etiam  
verba Lutheri, iusta limitatione & discretione  
posita, perverse in contrarium sensum detor-  
quere. Contendunt enim odiose, ea vera esse,  
quæ de iudicio illius falsa, obscura sunt & ine-  
pta. Sic orthodoxa pronunciant, quæ ille in  
dogmatibus ipsorum, ad fundamentum fidei  
pertinentibus, nec ita clara, nec certa, nec pura  
esse ut nostra, graviter censet. Præterea om-  
nibus nervis, aut manibus pedibusq; in to-  
ta hac Responsione sua remonent quæ ipse sa-  
lutaria ad minuendum schismata suadet, sicut  
de Præfatione eius, postremum de ipsis scripta,  
jam est ostensum. Nec verò illud etiam ca-  
ret impudentia & insolentia, quod pugnantis-  
bus omninò, cum lacris testimonijs, doctrina  
Lutheri, & Augustana Confessione erroribus  
suis, nondum auctoritatem, præcipuorum  
eiusdem Confessionis doctorum, prætexere,  
& varijs Ecclesijs nostras, & Ministros ear-  
um, iniurijs afficere desinunt. Præterea quod  
non ex rumoribus, aut temerarijs obiectatio-  
nibus,

## DE APPENDICE

nibus, errores, & injurias illas, quæ omnium sensibus, in ijs quibus vivunt locis, sunt expositæ, hætenus recensuerim, ex utroq; scripto meo est planum.

VI II. *Quod linum lino, ut dicitur, annectentes ad tædium usq; repetunt de Cæna Domini,* ego idem quod antea adhuc adsero, quod suam de ea sententiam D. Luthero integrè, constanter & apertè non indicaverint, sicut ex superioribus constat. Deinde conferantur hîc ea, quæ ex Præfatione illius postrema citant, & judicetur, qua rursus fide, ad eandem provocent. Nam Lutherus solummodo scribit, se invenisse eos à nostra fide, verbis vel phrasibus aliquantulum discrepare, in re ipsa tamen nobiscum sentire ac credere, quod verum corpus & sanguis CHRISTI ore accipiantur. Cur ergo nusquam in Confessionibus suis, oralem manducationem istam profitentur, sed tantum fide aut spiritaliter, corpus & sanguinem CHRISTI nos manducare & bibere dicunt? Cur item in Responsione Bohæmica, ad Lutheri libellum scripta negant, verum CHRISTI corpus naturale, in Cæna præsens esse. Sic postquam in Polonia, cum Sacramentarijs se palam coniunxerunt, tandem in consensu Sendomiriensi, solummodo spirituales manducationem admiserunt, & corporalem damnarunt. Deniq; in  
Respon

## NOTATIONES.

Responsione adversus me edita, multoties corporalem CHRISTI in S. Coena praesentiam rejiciunt, imo & ludibrio exponunt, sicuti capite I. & VIII. discrepantiae videre licet. Qua igitur contendendi libidine ulterius pergunt quaerere, *quid contra manifestum Lutheri testimonium* (prout ipsi illud detorquent) aliud proferre & demonstrare possim?

IX. Ut nugamentis nugamenta atterant, iterum inculcant, *Me de incognitis contra ipsos scripsisse.* At verò supra aliquoties, ad hanc calumniam respondi, quod de erroribus, qui in Confessionibus & scriptis (e quibus vel solis jam olim, multos ex Hæreticis, etiam post mortem judicatos, imò & damnatos esse, alias memini) Fratrum Bohæmicorum continentur, propria ipsorum verba, syllabas & literas assignaverim. Ea igitur verba, & integras sententias, hæcenus negare haud possunt, sed vel ad objecta non respondent, & ita tacendo assentiuntur, victasque veritati manus dare coguntur, vel falsa dogmata sua mordicus defendere, vel qualicunque prætextu, aut fucosa specie palliare, eisque alium sensum affingere, vel planè errores erroribus, & injurias injurijs cumulare depræhenduntur. Unde & convicijs suis hîc me lacerare pergunt, quia hi Respondentes, aliter loqui nesciunt, & ideò cum malis displicere, Seneca mo-

## DE APPENDICE

nente, sit laudari, non pluribus diluo. Contra alteram quoque calumniam, *qua damnandi ipsos studium, mihi tribuunt*, quid supra responderim, de Proæmio Notatione I V. XII. & de prima parte Notat. I V. videatur. Præterea Figmentum ipsorum, *quod magnifice, gloriose, insolenter, de me scribam*, de Proæmio Notat. XIX. refutatum est, & jure id in ipsos retorqueri, ex singulis partibus ferè & capitibus Responsionis, ab attentis facilè perspicui potest. Quid ergò illud ad rem facit, quod de alio personalia arripiunt, & cæci propria vicia sua non cernunt? Ego sanè ubi gloriari volo, in Iehova mihi gloriandum esse omninò statuo. Quin verò etiam mea contra ipsos, iusta & bona causa, & quod ob studium ac defensionem veritatis, me toties proscindere, & quidvis pro lubitu, de me fingere ausi sunt, tandem ipsis erit vindictæ loco, quando alij repenitus perspecta, non eadem mecum in redarguendis ipsis moderatione, remota, damnationis, aut blasphemix graviore nota utentur, sed injurias quibus hæcenus Ecclesias nostras, & me aliosque earum Ministros affecerunt, multo asperius ulciscuntur.

X. Contendunt, à me nunquam probari posse, mihi aut alijs nostrarum partium sacerdotibus, ( ut vocant ) vel periculum aliquod metuendum, vel insidias quandoque inter ipsos,

*ipso*

## NOTATIONES.

*ipfos, structas esse.* At verò quod nec falsò,  
nec maliciosè, sicut fingunt, horum à me insi-  
mulentur, probatu adeò difficile non esset, nisi  
ea quæ plurimorum, eorumq; fide dignorum  
testimonijs, confirmari possunt, ipsi procaci-  
ter, pro more suo pernegarent. Non enim  
præter alia, ignotum ipsis & alijs, in Bohæ-  
mia & Moravia esse potest, quid superiori  
tempore, nempe Anno 1569. vir pius & do-  
ctus, Ieronymus Igdara, Pastor Hradissenus  
eodem tunc cum ipsis vivens & docens loco  
Articulo III. descriptionis Fratrum Bolesla-  
viensium, de eo literis consignarit, quod licet  
ipsi gladio, aut simili violentia non eos, qui  
erroribus, institutis & societati ipsorum se op-  
ponunt, adoriantur, persequantur & lædant,  
tamen nonnunquam per alios quibuscunq;  
modis, id tentare & facere haud vereantur.  
Ibidem exempli loco nonnulla speciatim re-  
centet, & qui hoc modo in pericula atrociora  
inter ipsos inciderint, imò & perierint expri-  
mit, eiusq; rei causa, ad multa millia homi-  
num, qui de eo testari possint, provocat. Quin  
etiam ad DEVM ipsum *καρποφωσισιν* & o-  
mnium conscium appellat, atq; hos Fratres,  
qui & ipsi periculum vitæ creaverint, propterea  
ad tribunal DEI citat. His alia & similia  
subjungere possem, nisi brevitatis rationem, in  
his Notationibus habendam, & ea antithesi

## DE APPENDICE

potius pleniori si illa opus foret, inserenda esse  
judicassem. Quamobrem nec ea, quæ me  
ipsum attingunt, nimirum à quibus jam olim,  
post editionem prioris mei scripti, dum in vi-  
cinitate ipsorum versarer, & his rursus annis,  
haud abs re, fideliter præmonitus fuerim, ut  
mihi ab illis caverem, & pericula, quæ quan-  
doquæ parata, simulquæ minacibus verbis, tam pos-  
sentiorum, quam tenuiorum nomine, denun-  
ciata fuerunt mihi, defugerem, nunc addo, sed  
animo æquiore hæc & alia dissimulo, ut sic  
etiam moderatio mea cognoscatur.

XI. Quod Respondentes subiiciunt  
de iudicio, an fide dignum hominem, & gra-  
vem Theologum me declaraverim, sanè illud  
nequaquam ex malevolorum calumnijs, aut  
contradictentium negativa, sed aperta veritate,  
quæ opprimi nequit, & ex evidentibus rei cu-  
iusquæ testimonijs, ut & Orthodoxorum calcu-  
lo, cui me subiicio, & quorum Epistolæ, hac  
de causa, ad finem additæ sunt, omninò peten-  
dum erit. Indicant quoquæ disertis verbis,  
*Quod nunc jam amplius, nec velint nec possint  
se cum auditoribus suis, mihi coniungere & c.*  
Qua in re palam testatum faciunt, se malle se-  
paratam unitatem suam, & schisma fovere ac  
sequi, quam sublato illo, synceram aliquam  
consensionem, cum Ecclesijs nostris<sup>6</sup> DEI be-  
neficio, repurgatis, amplecti ac tueri. Has  
enim



## NOTATIONES.

enim Ecclesias, per meum latus hinc petunt, quarum ædificationem, & synceræ Confessionis propagationem, atq; illustrationem, contra ipsorum corruptelas, & iniquiora instituta, seriò quæsiui. Quod si tamen ita ipsis omninò libet, ut sint & maneat à nobis separati, per me ut fiat planè licet, modò ipsi nostros etiam cœtus, missos faciant, quando suos, vel mihi, vel fidei meæ consortibus, regendos committere, & administratione atq; cura ad hos sua, supersedere nolunt.

XII. *Charitatis quæ Christianos homines, & discipulos CHRISTI deceat, hinc rursus mentionem faciunt, & se nullam in me animadvertere dicunt.* Cum autem mox ab initio harum Notationum, & aliquoties postea, sit ostensum, quam præpostere ipsi pacem & charitatem, gloriæ DEI, veritati, & Ecclesiæ ædificationi anteponant, de eo nihil repeto. Nec homines illi, per inscitiam vel saltem affectuum suorum impotentiam, videre possunt & volunt, quod dilectio privatum sit singulorum Christianorum signum: Hæc verò in quibus hactenus cum veritate eos pugnare ostendo, publica totius Ecclesiæ signa & notas attingant. Illud igitur addo, me eam charitatem, quam non in uno loco, in publicis functionibus, fidei mei consortibus, etiam graves, quandoq; ferendo injurias, nec verbis solum

## DE APPENDICE

(ut sit ab his subinde Fratribus) declaravi, jam pridem etiam erga ipsos declaraturum, si se socios eiusdem Confessionis Augustanae nobiscum, subscriptione sua, hactenus ingenuè profiterentur, siquæ ut sit à nostrantibus, quilibet ex ijs, oviculas fidei suæ, certo in loco, vocatione legitima commissas curaret, & in alieno, quod dicitur, choro pedem non poneret. Cum autem à Confessione, & societate sua separata, non desistant, & nos in numero eorum, qui foris sunt, imò & inter Babylonios, Sodomitas atquæ Aegyptios conijctant, ut de Proœmio Notat. X. & cap. 2. discrepantiæ Notat. IV. memini, nec nos hoc pacto ipsos, pro synceris CHRISTI discipulis, & pro domesticis fidei, quibus præstanda sit charitas, quam ipsi in hoc quidem casu requirunt, agnoscere possumus, licet alioqui, & extra hunc casum, in genere etiam hostes diligendos, ac pacem politicam esse servandam, probè sciamus. Quod etiam omninò justis de causis, non autem odio & malicia, quod iterum fingunt, corruptelas ipsorum refutandas suscepim, in Præfatione mei prioris scripti, & hîc de Proœmio Notat. V. ac multoties alias ostendi. Charitatis igitur, quam in me desiderant, eius contrarium in tota Responsione sua, adversus me ipsi declarant, ideoquæ potius seiplos, quam me in eo vellicant,

XIII. De-

## NOTATIONES.

XIII. Denicq̄ attexunt, *Se non agnosceres, in aliquibus istis capitibus* (à me hactenus propositis) *sanam & orthodoxam, atq̄ cum sacris literis consentientem meam doctrinam.* Ex quo facilè intelligitur, cum in toto scripto meo, non aliam, quàm sacrarum literarum, & Confessionis Augustanæ (qua ante hoc tempus, tanquam Orci Galea se texerunt, sed tegere nunc amplius se nequeunt) doctrinam profitear, eamq̄ adversus contradicentes ipsos propugnem, quod ideò non meam, sed illam his nominibus exagitent, eiq̄ maculas aspergant. Ac licet convicti veritate, non de omnibus, sed de aliquibus saltem hoc statuant, tamen non apertè in Responsione sua, quæ alia sana in capitibus discrepantibus agnoscant, & quæ deinceps, erronea, minusq̄ justa corrigendo, amplecti velint nobiscum significant, atq̄ hoc modo scientes ac volentes, Pharisæi sive segregati esse, & à nobis dissentire pergunt.

Quare & ego finem his Notationibus impono, quibus sincera Ecclesiarum nostrarum dogmata, & ædificationem, ea qua per Antagonistas licuit, & majore etiam moderatione, quam qualem ipsi adhibuerunt, adserere conatus sum, & omnibus veritatem serio inquirentibus, eamq̄ à falsitate discernentibus, prodesse hac opera mea studui.

S S

DEVM


## DE APPENDICE

DEVM autem OPT. MAX. suppliciter  
oro, ut ipse Ecclesiam in his terris suam, doctrinæ puritati, Sacramentorum integritati, & cultuum sinceritati, verè & non simulate addictam, pro infinita sua potentia, inter tot atque tantas, quibus undiq̃ concutitur, adversitates benignè tueatur, ac testimonium veritati suæ, imò & sibi ipsi, cum sit æterna veritas, adversus quosvis oppugnatores, perpetuum perhibeat, & fideles suos, ex omnibus tandem malis ereptos, salutis per CHRISTVM solum acquisitæ & promissæ, clementer participes efficiat.

Ad finem Respondentes, de suo isto scripto prædicant, *Quod veritate nitatur, non refutationis acrimonia.* At verò qui meas cum eo conferet Notationes, facile depræhendet, vix folium in illo haberi, quo non à veritate aliena, cumq̃ ea pugnantia reperiantur. Deinde tanta concurrit in eo refutationis, non solum acrimonia, sed & malicia, coniuncta cum virulentia, ut in singulis partibus, & capitibus ferè discrepantibus, plus conviciorum ab ipsis, in me sit congestum, quam quod in toto, eoq̃ proluxiore opusculo meo, demonstrari potest. Nihilominus tamen temere, ut alias de lenitate sua, ita & hic, quod ab acerbiori insectatione abstinerint, gloriari audent.

## NOTATIONES.

dent. Quare ex his, ut & cœteris, num Res  
sponſionis illius Autores ( cum quibus mihi  
hactenus, & non cum tota Vnitate est nego  
tium, fide digni, & cum Ministris suis, cul  
pa sine vacui, unusquisq; iudica  
re & statuere pos  
terit.



## EPISTO

EPISTOLA DE  
GERMANICO CON-  
VERSA, AD QVAM IN  
hac Epitome de Proœmio Notatio-  
ne XIV. & XVI. Item de prima  
parte Examinationis Notat. IV.  
necessariò provocan-  
dum fuit.

IOHANNES SPANOFKY  
à Lysau in Patzau, Eques Bohœ-  
mus, D. Davidi Chytræo, primario in  
Academia Rostochiana  
Theologo.

**R** Everende & Clarissime,  
singularis mi Domine & amice, DEVS  
omnipotens te & tuos omnes, in diuturna va-  
letudine, & felici rerum successu, inq̃ sana do-  
ctrina, sicut & nos singulos, usq̃ ad finem vi-  
tæ nostræ clementer conservet, Amen.  
Literas tuas, quas ad binas meas re-  
scripsisti, accepi, & argumentum earum intel-  
lexi, ac primo quod Christianum & fidele vo-  
tum attinet, pro eo humaniter gratias ago, &  
tibi ex intimo pectore meo, fideliter opto, non  
solum

solum quod mihi optas, sed etiam omne id  
quod tibi ipsi, & omnibus tuis, à DEO beni-  
gnissimo expetis. Idem DEVS te & nos singu-  
los, clementer exaudiat, quando illud petimus,  
quod animarum nostrarum saluti, quàm ma-  
ximè expedit. Cæterum initio, quod Oratio-  
nem tuam spectat, in qua ex parte VValdenses,  
non solum ratione disciplinæ, sed etiam in do-  
ctrina de Cœna Domini confirmas, nunc verò  
in tuo scripto significas, ubi certiora de ipsis  
perceperis, te haud gravatim, hujusmodi con-  
firmationem, ex meliore fundamento retracta-  
turum, Ego sanè existimassem, te ex libello Dn.  
Doct̃oris Hederici, crassos errores horum de-  
prehendisse, qui ex ipsorum proprijs, publicè  
editis libris, & quidem Confessionibus, fundi-  
tus & verè sunt refutati. Omnino tamen id  
mirum est mihi, mi Dn. Doct̃or, te de istis er-  
roribus aliam, ut scribis, certiolem & melius  
fundatam informationem expetere, quam qua-  
lis ex ipsorum proprijs verbis ac Scriptis, &  
quidem præcipuis, utpote Confessione & Apo-  
logia, publicis typis excusa, evidenter cogno-  
scere licet, ne dicam de alijs ipsorum Bohæmi-  
cis opusculis, in quibus manifestius hos erro-  
res produnt, quibus tamen in libro, per nos e-  
dito, hoc adhuc tempore, ob spem emendationis,  
magna

magna ex parte peperimus. Quod si ex  
verbis, & locis insuper integris, in scriptis  
ipsorum, nondum certò & fundamentaliter,  
errores hos deprehendere potes, multò minus  
illos ex privatis, quos cum ipsis instituisti ser-  
monibus, & quorum in Oratione tua memini-  
sti, & quae multò magis fallebant, explorare  
tibi licitum fuit, idecquò nihil fundamentale, de  
ijsdem scribere potuisti. Aliud tibi penitus sit  
persuasum, quod si *V*aldenses se extricare ve-  
lint, ex istis erroribus, quorum in libello *Dn.*  
*D. Hederici* convincuntur, omninò ipsos oportere  
sua illa scripta, & verba revocare, qua-  
cunquò hic continentur uti sephistia, qua sua palli-  
are & incrustare queant. Mirum nobis quoquò  
illud, & haud immeritò est molestum, te in eo  
adhuc persistere, quod in *Traetatu* tuo inter  
alia scribis: Ac tum ex scriptis editis, iùm vi-  
va eorum voce comperimus, eos de omnibus  
doctrinae Articulis, eandem sententiam, cum  
fundamento *Trophetarum* & *Apostolorum*  
congruentem, quam & nostra Ecclesia, una  
voce, & uno spiritu, cum *Catholica Ecclesia*  
*CHRISTI* profitentur, piè amplecti & con-  
fiteri, & à fanaticis opinionibus, cum verbi  
divini norma pugnantibus, & iudicio vera Ec-  
clesiae damnatis abhorrere. At verò magna  
pars



pars Articulorum, in nostro libello consignatorum, & breviter refutatorum, tam cum sacra Scriptura, quam cum Augustiana Confessione, & à vobis edita Forma Concordiæ, nequaquam consentit. cui Concordiæ tu non solum subscripsisti, sed cum ea colligere tur, ipse præsens interfuisse diceris. Iam si vera est **V**aldensium opinio, de **CHRISTI** secundum solam divinam naturam præsentia, & non etiam secundum humanam, vel totam personam in Ecclesia, juxta promissiones ejus: Ecce ego sum vobiscum &c. Item, **V**bicunq; duo aut tres &c. oportet Articulum de persona **CHRISTI**, in vestro Concordiæ libro falsum esse, de quo vehementer pugnatis. Si sancta quoq; Sacramenta, non sunt ejusdem dignitatis & necessitatis, ad salutem cum verbo, ac si non ipsa verè & realiter, non autem titulotenus, fidem justificationem & salutem efficiunt; Et insuper si Infantes in Baptismo non consequuntur fidem &c. oportet falsum esse, quod diversum in **V.** & **X.** Articulo Augustianæ Confessionis, itemq; **XII.** & **XIII.** Articulo Apologiæ, tanto tempore professi estis. Item necesse erit, temerarium id haberi, quod in libro Concordiæ bis rejicitis, errores Suenckfeldianorum, quod aqua Baptismi non sit medium, per quod

**DEVS**

DEVS Dominus regenerationem efficiat, & adoptionem in filijs DEI obsignet. Item, Quod Panis & Vinum, in Sacra Cœna, non sint organa, per quæ, & cum quibus, CHRISTVS corpus & sanguinem suum distribuatur &c. Item necessario reijcienda erit, cum his consentiens Concordiæ formula, quæ Vitebergæ Anno 1536. est instituta, ad quam tamen de novo, in moderna Concordiæ forma provocatis (videlicet, Sacramentali unione panem esse corpus CHRISTI: hoc est, porrecto pane, simul adesse, & verè exhiberi corpus CHRISTI.) Quod si in sacra Cœna, secundum Valdensium opinionem, pluribus verbis, ex Apologia ipsorum consignatam: solummodo virtus, efficacia & meritum, absentis corporis & sanguinis CHRISTI distribuatur, qui igitur pugnatis, de vera corporali præsentia, Articulo X. vestræ Confessionis & Apologiæ, ac præcipuè in libro Concordiæ. Præterea D. Lutherus ipse observavit & testatus est, quod doctrinam de Iustificacione non ita puram & claram habeant, sicut apud nos sonat. iam si omnes hi Articuli, in quibus Valdenses errant, ad fundamentum non pertinent, necesse erit, ut prorsus aliter, quam quod in Oratiuncula tua factum est, id demonstrares. Præterea

CUM

cum plures alij, errores Anabaptistarum, & Suenckfeldianorum, ut de Ecclesia, de eius disciplina, de Ministris verbi &c. in libro Concordiæ à vobis damnentur, qua conscientia poteris eos laudare, in Fratibus Bohæmicis, sicut VValdenses dici volunt? Et qualis tandem Theologia hinc prodibit, vel quomodo doctrina pura conservabitur, quando primarij Doctores, huiusmodi errores, non iusto Zelo, & candore refutant, sed hærentes in illis confirmant? Id profectò coram DEO & Ecclesiæ eius, difficilimè excusari poterit. Expetis quidem, ut quam primum ad te mittatur, si quid VValdenses, ad librum D. Hederici responderint, sed facio te certiozem, quod hætenus respondere, nec ausint nec possint. Quanquam facile conijcere possum, te ut viram doctum & exercitatum, fortè putare, quod errores in libello nominato sint pernegaturi. At verò illud impossibile erit, nisi publicè sua dogmata & scripta revocent. Nam hi errores excerpti sunt, ex proprijs ipsorum libris, quos haudquaquam negare possunt. Id quod, si voles, ulterius expendere poteris. Equidem dubito, quod quæ excusationem mereantur, sint prolaturi, utinam id fiat, nostro favore ipsis non essemus defuturi.

T

Cæterum

Cæterum quod in literis tuis scribis & existimas, quasi VValdenses in societatem Bohæmicæ Confessionis nostræ, Imperatori Maximiliano, Anno 1575. exhibitæ, adsciverimus, scire te velim, quod haud solidè de eo sis informatus. Et frater meus, supremus Dominus Protonotarius, elapso Anno 1581. duobus ad. Doctõribus, Iohanni Hederico, & Iacobo Horstio, cum compellandi me causa Patzovium venissent, ex Actis Comitiorum Regni, eodem Anno consignatis, quæ fidei suæ habet commissa requisivit, prælegit, & è Bohæmico interpretatus est, quo pacto utriusq; partis Proceres & Status, nostræ & VValdensicæ Confessionis, haud mediocriter contenderint, & Nostrates id quidem permiserint tandem, ut penes cætum suum simul adstarent, sed in eo doctrinam ipsorum minimè approbarent, in spem verò venerint, quod & promiserant, se in specie Imperatoriæ Majestati ea, quæ ipsos attingerent, exposituros esse.

Confessionem illam, trium Ordinum Regni Bohæmiæ, nostra lingua excusam, jam pridem ad te misi, si fortè quispiam Studiosus Bohæmus, apud Vos versaretur, qui eam transferre posset. De ea revera haud aliter cognosces, quam quod ipsa, in omnibus Articulis,

Argu.

Augustanae Confessionis respondeat, de quo  
nulla disputatione est opus. Nam frater meus,  
Dominus Protonotarius, ex Consiliarijs Ele-  
ctoralibus, legatis Saxonis & Brandebur-  
gicis intellexit, quod Serenissimi Electores,  
hanc ipsam Confessionem nostram, ex Bohæ-  
mica lingua, in Latinam transferrî curave-  
rint, & cum Theologis suis depræbenderint,  
eandem Confessionem Augustanae, in omnibus  
articulis consentaneam, & ulterius declara-  
tam esse. Quapropter Valdenses, nullo modo  
se illa tueri possunt, & multò minus tu, vel  
quisquam alius, ipsorum erroribus, inde pa-  
trocinari poterit.

Quod autem in scripto tuo meministi, te  
vidisse libellum editum ab ijs, qui sub utraq;  
nominantur, & quod cum Secta Valdensica  
in eo congruant, quod non credant, se verè præ-  
sens, corpus & sanguinem Domini nostri I E-  
S U CHRISTI, ore suo percipere, id utrinq;  
falso, perperam, & Calviniano, sive Sacra-  
mentario more asseritur. quod plures adhuc in-  
ter Pastores, sunt in Bohæmia, qui in eadem  
sunt opinione. Nostra autem vera, quam no-  
minavi, Confessio consentit, cum Augustana  
Confessione, quia credimus veram præsentiam,  
& quod ORE nostro, verum corpus & san-  
guinem

guinem Domini nostri IESU CHRISTI acci-  
piamus, & non dicimus ore cū VValdensibus:  
Nos credimus, & aliter in corde sentimus. Ac  
summatim loquendo, ipsi multos doctos, & ex-  
cellentes viros seduxerunt, sicut hoc annuente  
divina gratia probè cognosces, & deinceps ut  
ipsorum virus devites videbis. Mitto tibi  
Præfationem, quam Dn. D. Nicolaus Selne-  
cerus, de libello D. Hederici, contra hypocriti-  
cam VValdensium Sectam conscripsit, ubi se-  
cundo illum Lipsiæ excudi curabit, & ea verè  
ex fundamentis suis est consignata. Illud etiam  
te nolo celare, quod istum libellum D. Hede-  
rici, contra pestiferam illam Sectam editum,  
è Latino sermone, in Germanicum & Bohæmi-  
cum transferri, & Lipsiæ typis excudi cura-  
verim, idq; impensis meis haud exiguis. Ha-  
beo apud me quoq; reposita, ex omnib. ferè, ijsq;  
præcipuis Germaniæ Academijs, scripta Latine  
& Germanicè ad me data, quibus idem libel-  
lus D. Hederici approbatur, & admodum præ-  
dicatur. Non est dubium, eundem libellum,  
in reformatis Christianorum Ecclesijs, pluri-  
mum utilitatis allaturum. Ego in animum in-  
ducere meum nequeo, quod tamen fieri cupe-  
rem, VValdenses ad libellum D. Hederici ali-  
quid solide, & aperta ratione responsuros. Qua-  
re

re

re tuum erit, quæ ad excusandum, Orationem  
abs te editam faciunt, per occasionem commo-  
dam curare. Id quod ideo fideli, & Christi-  
ano pectore fieri optarim, ut si deinceps ad hu-  
iusmodi commendationem tuam, in publicis  
scriptis, sicut alioqui privatim inter se faciunt,  
ad eam provocent, nobis non ansa subministretur,  
ut hæc quoq; verba tua, prout postulat ve-  
ritas & æquitas, à nobis refutentur, dum hæ-  
tenus bono consilio, in libello D. Ederici, ti-  
bi pepercimus. Nam eam spem concepimus,  
te præcavendo elaboraturum, ne nostræ Eccle-  
siae in Bohæmia, quæ hinc inde jam antea, per  
Sectam VValdensicam potissimum premuntur,  
& molestia afficiuntur, tua etiam commenda-  
tiuncula turbentur, si ulterius probaretur. Vn-  
de profectò scandala haud exigua, & contem-  
ptum sinceræ doctrinæ, tandem consequi oport-  
teret, quando qui illi addicti sunt, imò & ean-  
dem propugnare debebant, decenti Concordia,  
in ea non acquiescunt, & perseverant, atque  
conjunctis studijs fideliter illam tuentur. Id  
quod animo benevolo, ut antea memini, respon-  
sionis loco perscribere volui, spe hac Christia-  
na, amica & fideli concepta, te hoc meum scri-  
ptum, & veram expositionem, haud ali-  
ter quàm humaniter accepturum, & quod

T 3

debet

ipsos) de gratia & remissione peccatorum mo-  
dum loquendi. Siquidem opera & fidem, pu-  
rè & rectè à se invicem, discernimus, & cui-  
libet suam proprietatem & officium adscribi-  
mus. Ex quo postea certò sententia ferri, &  
judicari potest, de alijs omnibus partibus do-  
ctrinæ. Vbi autem hoc necessarium & perspi-  
cum discrimen, non clare observatur, ibi sem-  
per aliquid manet admixtum, quod fidem for-  
mare debet &c.

Nazianzenus contra Ari-  
rianos.

*Aut totum honora, aut totum abijce : non  
recipio dimidium pietatis : totum te volo esse  
pium.*

Tertullianus lib. de  
Trinit.

*Non est in unam partem inclinandum, &  
ab alia parte fugiendum : quoniam nec tenebit  
perfectam veritatem, quisquis aliquam veri-  
tatis exclusit portionem.*

os(?)so



ALIAE



ALIAE EPISTOLAE  
CELEBERRIMORVM,  
eorumq; Orthodoxorum Theolo-  
gorum, & nonnullorum Pastorum,  
de opusculo D. HEDERICI: Op-  
positae Respondentibus, & eorum  
cavillationibus, cum alijs, tum quo-  
que illis, quibus toties pacem vio-  
lari inculcant, & An fide dignum &  
gravem Theologum se praesti-  
terit, in dubium vo-  
cant &c.

REVERENDO ET  
CLARISSIMO VIRO, E-  
RVDITIONE, PIETATE ET RE-  
rum spiritualium cognitione praestanti, D.  
IOANNI HEIDERICO, S. Theolo-  
giae Doctori, & Ecclesiae Iglaviensis Pasto-  
ri dignissimo, amico & compatri-  
suo peramanter co-  
lendo,

*S. Reverende Dn. Do-  
ctor, Compater peramanter colende, Legi scri-  
ptum tuum, à Domino Spanofskio ad Academi-*

*T 5*

*am hanc*

am hanc missum, & à D. Cornero Facultati  
nostræ exhibitum, & lucubrationes tuas uti-  
les & necessarias, quibus VValdensium &  
Sacramentariorum errores varios eosq̄ impi-  
os & perniciosos refutas, in Collegio nostro,  
uno ore atq̄ unanimi consensu probavimus, ijsq̄  
ut à Typographo nostro typis excuderentur  
subscripsimus. Quod autem Præfationi cui-  
dam, de iisdē VValdensibus, à me minus dex-  
trè insertum esse, in prioribus literis scripsisti,  
id ante hoc tempus à me ex ignorantia factum  
esse putabis. Legeram quidem Confessionem,  
ab ipsis editam, sed minus attente, & non ob-  
servatis in ea multis erroribus, quos illi hinc  
inde in ea verbis suis, vel ambiguè, vel nimis  
breviter expressis involuerunt, & quos tu di-  
ligentius notando, probè examinasti & refu-  
tasti. Nec facile quis credidisset, eos rectè fo-  
vendo VViclevitismum & Cinglianismum, adeò  
imponere potuisse D. Luthero, ut Præfationi-  
bus suis (quas proculdubio blandis sermoni-  
bus, & simulata docilitate, ac humilitate sua  
impetrarunt, publicè <sup>eos</sup> commendaret. Hunc e-  
nim virum D. E. I., ad cuius docentis pedes &  
ego quondam sedi, longe aliena aut diversa, ab  
istorum Hypocritarum falsis dogmatibus, sen-  
sisse, docuisse & scripsisse, tam mihi quàm alijs  
omni-

omnibus: qui scripta & doctrinam eius cogni-  
tam habent, est manifestissimum. Nunc præ-  
terea de alijs locis, ut de Polonia, quam etiam  
invaserunt, audimus, ante aliquot annos, eos  
ut & PseudoLutheranos (quales etiã in Saxo-  
nia & his regionibus, hinc inde multi reperti  
sunt, & adhuc plurimi reperiuntur) cum ipsis  
Calvinianis conspirasse Samaritanismum quen-  
dam construxisse, & ex quam pluribus, di-  
versis ac noxijs, eiusmodi pulmentum coxisse,  
ut meritò Mors in olla dici possit, sicut typus  
huius & similium in religione confusionum  
4. Reg. 4. habet. De me certè haud ignotum  
est, quod dum in acie fui constitutus, quibus  
potui viribus, fortiter pugnaverim, contra fa-  
naticas opiniones, blasphemias & deliria Sa-  
cramentariorum. De eo enim extant Disputa-  
tiones meæ, in hac Academia habitæ, quibus  
ipse cum Collega noster eras interfuisti, & de  
ijs pro & contra nobiscum publicè contulisti.  
Insuper aliquot libelli, adversus eosdem à me  
sunt editi, quos ad te elapsis annis misi, & te  
cum literis meis accepisse non dubito. Ergò si-  
cut D. Lutherus nunquam in VValdensibus  
(quicquid etiam de eo dolosè fingant & pin-  
gant) falsa & fanatica eiusmodi dogmata, &  
Schisma illorum, **PACI ET CONCORDIÆ**  
contra-

contra-

contrarium, ipse comprobavit, aut postea à  
quopiam probari voluit: ita tu cum aliis  
idem de me iudicabis. His etiam iisdem ve-  
stigijs, quod & tu in acie constitutus, nobis-  
cum insistas, unice gratulamur tibi & nobis,  
& ut id porrò animo forti & constanti facias,  
quàm diligentissime monemus & oramus.  
Magno enim dolore hætenus cognoscimus, no-  
bilia & optima ingenia, cum argutijs, glos-  
sis & præstigijs Calvinistarum, humanæ rati-  
oni apprimè arridentibus indulgent, tandem à  
fundamento verbi divini, & perpetuo veræ  
Ecclesiæ consensu, cum suo & aliorum exitio  
turpiter deficere. Custodiat te Virtus Altissimi,  
ut maneat veræ Ecclesiæ membrum, & sis  
semper ejusdem organon salutare, Amen. Nos  
va quæ scribam non habeo. Satis salva apud  
nos sunt omnia. Salutabis meo nomine famili-  
ariter Vitem tuam, cum Vvis suis, Pro me se-  
ne, laboribus & morbis exhausto, sinas tuas  
vigilare preces. Salvum atq; incolumem Eccle-  
siæ te servet Deus Omnipotēs, in multos annos.  
Francofurdia Marchionū 15. Octob. An. 1580.

T.

Andreas Musculus D. Pastor &  
Professor, in Ecclesia & Aca-  
demia Francofurdiana, totius  
usq; Marchiæ Brandenburgens-  
is generalis Superattendens.

ALIA EIVSDEM,  
AD EVNDEM.

S. Reverende Dn. Do


ctor, & Compater peramanter colende, ex cre-  
bris tuis literis, ad me missis, agnosco tuam er-  
ga me benevolentiam. Gratias ago pro mu-  
nusculis tuæ Vxoris, meæ costæ transmissis.  
Intelligo ex tuis literis Formulam Concordiæ,  
ad quam concipiendam, cum primarijs quibus-  
dam Theologis, & ego cum D. Cornero, nomi-  
ne Electoris nostri Brandeburgici, annis pro-  
ximis Torgam ( ut & antea ad te scripsi ) ab-  
legati eramus, nunc post labores, collationes  
& conclusiones varias, in lucem editam, ad  
Vos quoq; allatam esse. Hoc ergò Illustrissimo-  
rum & pientissimorum Principum exemplo,  
vestros in istis, in quibus Ecclesiam doces, lo-  
cis Proceres permoveri debebant, ut & ipse  
hoc ultimo seculo, in quo Filius hominis, mox  
celebraturus Iudicium, vix se fidem in terris  
inventurum prædixit, de **QV ALICV NOVE**  
Consensione aut Concordia ( cum plena & per-  
fecta, in hac vita haberi non possit ) in pura &  
syncera Religione instituenda, ante omnia sol-  
liciti essent. Nos quidem etiam politicam pa-  
cem &

cem & tranquillitatem, (quam tamen man-  
dante ipso CHRISTO, statuimus post divi-  
nam, non verò ante hanc, vel cum iactura eius  
querendam) exoptamus & amplectimur. Sed  
propter eandem, PAX QUÆ IN DEO est, per  
unicum Mediatorem CHRISTVM, & solide  
in una eademq; veræ & synceræ fidei Confessi-  
one, fundata est & consistit, hac ratione ne-  
quaquam est negligenda, ut potius variæ &  
monstruosæ Sectæ alantur, aut falsa & impia  
dogmata ferantur, quam ut salutaria remedia,  
contra illa monstrantes, tolerentur & juven-  
tur. In Regionibus & ditionibus nostrorum  
Principum, Concordia probè deliberata ac in-  
stituta, satis feliciter inchoata est & succedit.  
Sed tamen ut & illud tibi significem, nihil ma-  
gis turbavit & impedivit, initia istius Concor-  
diæ, in multis locis, quam Corporis doctrinæ  
Philippicæ Ecclesiis nostris remotio & c. Tu  
in asserenda veritate, & confutanda Sacra-  
mentariorum & Waldensicorum Ministrorum  
falsitate, virum te ut præstes cura, nec metu  
percussus aliquo, ob minas, convicia & insul-  
tus contradicentium, animo frangaris & suc-  
cumbas, IEHOVAH DEVS clementissi-  
me tibi tuisq; pijs aderit conatibus. Lutheri  
communis nostri Præceptoris scripta, post Sa-  
cra

era Biblia, Ministris verbi, tuæ Inspectioni  
commisſis, ſubinde commendabis, & ut in do-  
cendo, fundamentum verbi, ab ipſo oſtenſum,  
firmum & inconcuſſum retineant ac ſequan-  
tur, ſedulo hortaberis, & haſtenus ab illo ab-  
errantes aut averſos, ad idem reducere cona-  
beris. Mitto tibi libellos duos, recens editos,  
quos ut benevolo animo ſuſcipias ac legas ro-  
go. Bene & feliciter vale in CHRISTO,  
qui te quoq; ſuæ Eccleſiæ, in multos annos, ſal-  
vum atq; incolumem conſervet. Ego cupio diſ-  
ſolvi, & jam utroq; pede, tertio quoq; adjuncto  
ad Sepulchrũ propero. Gott gebe mir ein  
ſeliges ſtündlein. Ora pro me. Saluta  
uxorem tuam. Francofordiæ Marchionum die  
18. Decembris Anno 1580.

T.

Andreas Muscu-  
lus D.



ALIA.

ALIA

MAGNIFICO, NO-  
BILI ET GENEROSO  
DOMINO IOHANNI SPANOFKY  
à Lysovv, Domino in Patzovv  
Bohœmia, Domino suo submis-  
sè colendo.

*Magnifice Vir, Nobilis  
& Generose Domine: Libenter & summa  
cum animi delectatione, legi tuæ Generosæ Do-  
minationis literas plenas humanitatis & pie-  
tatis, ac vere profiteor, me hisce diebus, qui-  
bus multæ ab amicis, & alto loco natis Viris,  
ad me datæ sunt, neq̃ gratiores, neq̃ iucundio-  
res accepisse. Ex illis enim cognovi T. grati-  
am, non tantum benigno animo, me meosq̃  
Collegas, Evangelicæ veritatis Professores  
complecti: sed etiam toti Academia nostræ be-  
né honesteq̃ cupere, ut argumento nobis est,  
pia & veré Christiana salutatio, cum liberali  
precazione conjuncta. Pro qua sané Genero-  
sæ mentis benevolentia, T. Dominationi me-  
ritò agimus gratias & vicissim precamur  
læta & salutaria omnia, & seriò oramus, ut  
benignissimus DEVS, lucem & cognitionem  
cælestis*



caelestis doctrinae, quam in mente tua accendit,  
& amorem verae Religionis, qui in pectore tuo  
ardet, non tantum conservet, sed etiam augeat,  
det atq; efficiat, ut Tua gratia plurima virtu-  
tum, & doctrinae suae dona & facultates, qui-  
bus abundat, ad Divini honoris illustrationem,  
agnita veritatis propagationem, & ad Errores  
atq; Sectas, non parum hanc lucem obscuran-  
tes opprimendas, conferat. Quod sane Tua  
Illustris Dominatio, magno zelo, & ingenti  
studio facit, ut testatur & probat liberale fa-  
ctum, quod non gravatim magnos faciat sum-  
ptus, in libro Doctoris Iohannis Hederici apud  
nos excudendo, illumq; iam typis excusum ad  
se advehendo. Ac cum liber iste, contra per-  
niciosa<sup>s</sup> Valdensium Sectae errores, doctè &  
piè sit scriptus, non dubitabit illum cum multis  
cõmunicare, ut in Moravia vicinisq; locis, à Pi-  
cardis occupatis, tandem studiosi purioris doctri-  
nae, detestatos errores & dogmata, à nostris plurimam  
DISSENTIENTIA, & multos excæcitan-  
tia, agnoscant, dijudicent, fugiant & detestentur.  
Lætor autem valdè apud Vos, ubi innu-  
meræ propè Sectæ sunt, & à potentioribus  
quoq; foventur, DEVM quasdam adhuc sibi  
colligere & conservare Ecclesias, in quibus re-  
ctè colatur & invocetur, excitare quoq; He-  
roas

V

reas

vos quosdam altis animis, & excellenti doctrina ornatos, quorum opera & fide, in propaganda & protegenda recta Religione utatur. Quorum de numero, agnosco quoque T. Generosam Dominationem esse, quam ut DEVS pater, in sanctis his conatibus & studijs, diutissime conservet, toto pectore oro. Mittuntur quoque nunc ad Vos libri Doctoris Hederici, mediocri diligentia excusi, quod Scriptum & ego perlegi & probavi, ut & sine multis mendis excuderetur, dedi operam, ut Tue gratiae, Doctori Hederico, & vestris Ecclesijs, mea qualicumque opera non deessem. Ac si quid T. gratia habet aliud, in quo velit nostris officijs uti, habebit ea me meosque Collegas paratissimos. Doctorem Musculum adversa utentem valetudine, à T. gratia officiosè salutabo: qui etiam me veniente, posthac ex Bohæmia, & alijs Regionibus advolantes, rudes & ad Ministerium parum idoneos, non est admissurus, quod etiam publico scripto cavet: Cujus T. gratia suis in literis meminit. Curabo quoque ut literæ tuæ, primo quoque tempore, ad summum amicum, & conterraneum meum, D. Chytræum transmittantur, unà cum duobus exemplis libri excusi. Aliquot etiam exempla ejusdem libri (id etiam T. Gratia postulat) hic retinebo, & inter Col-

ter Col-

ter Collegas & alios, qui superstitiones &  
blasphemias v. Valdensium oderunt, distribuã,  
qua re me ipsis T. G. nomine gratificaturum  
esse scio. Hisce te Vir Amplissime, divinæ tu-  
telæ, & benignitati DEI, cum tota familia  
tua, & Ecclesia commendo, & obnixè peto,  
me habeas eorum in numero, qui T. Gratiam  
amant, reverenterq; tribuunt summa omnia.  
Francofurti Marchiæ, 22. Novembris, Anno  
Christi 1580.

Christophorus Cornerus D. &  
Professor, Facultatis Theo-  
logicæ pro tempore Dec-  
canus.

## ALIA

Reverendo & Clarissimo Viro,  
D. IOANNI HEDERICO, S. Theo-  
logiæ Doctori, & Ecclesiæ Iglaviensis  
apud Moravos Pastori, Colles-  
gæ veteri & amico suo  
colendo.

*Reverende Vir, amice col-  
lende: Cum superiori anno, Exempla librè  
tui, apud nos excusi, per Legatum ex Bohæmia  
missum transveherentur, iudicium meum de  
v. 2 eo, quod*

eo, quod & COLLEGARVM fuit, datis  
ad Magnificum Dn. Spanofskium literis expo-  
sui. Intellexi etiam Superintendentem no-  
strum, D. Musculum P. M. licet adversa va-  
letudine utentem, circa idem tempus ad te scri-  
psisse. Nec dubitamus omnes, puriori doctri-  
nae in Ecclesiis nostris addictos, eidem λευκῆν  
Ἰησοῦ quod dicitur addituros, & ea quae pu-  
blici commodi & veritatis propagandae causa,  
PRO FIDE & manere tuo Theologico, pie  
& eruditè scripsisti approbaturus. Nuper  
etiam ad me D. Spanofskius iterum dedit lite-  
ras, & petijt ut scriberem ad D. Chytræum, de  
corrigendis vel retractandis quibusdam dictis,  
quibus in sua Oratione, de Statu Ecclesiarum,  
VValdensicorum doctrinam & vitam nimium  
commendavit. De quo igitur rogatus eram,  
amicè illum monui. Sed is respondit, se eadem  
de re, jam ad eundem Dominum scripsisse, &  
rectius se informatum, circumspècte commen-  
datiunculam mutaturum esse. Dubium non  
est, ut plures alios, tam doctos quàm indoctos,  
ita & ipsum narrationibus quorundam, sive  
Praepositorum sive Patronorum VValdensico-  
rum, deceptum fuisset. Hi errorum suorum,  
qui ex Confessionibus ipsorum abs te recensentur,  
ex eo potissimum convinci videntur, quod  
in Po-

in Polonia & alibi, se cum Sacramentarijs di-  
cuntur conjunxisse. Idem confirmat, quod ipse  
nuper tuis literis inserviisti, ad te Praga per-  
scriptū esse patronos Vvaldensiū coram alijs di-  
xisse, non tantū in sua Societate, scripta Apolo-  
getica se adversus te adornare, sed etiam Gene-  
nam, ad Coryphæum suum, Theodorum Bezam,  
scholasticum Tractatum ( sic enim eos vocare  
Scriptum tuum addis ) misisse, ut pro sua qua  
illum habent autoritate, ipsorum partes defen-  
dendas suscipiat. Sed rectè idem Generosus  
Dominus, per quem hæc tibi denunciata sunt,  
in literis subijci iussit: Veritatem impugnari  
quidem, sed expugnari non posse. Tu persiste  
in ijs, quæ in Præfatione Libri tui inter alia  
inseris: Quicquid malevoli aut adversarij po-  
stea garriant, aut genuino mordeant, & quic-  
quid alij cuculi pro huiusmodi piè institutis  
lucubrationibus, impietatis & ingratitude  
referant, nihil te illis moveri aut turbari de-  
bere &c. Hoc offiduo fuimus occupati, in  
perlegenda Apologia Theologorum, qua contra  
Sacramentarios & alios, Concordiæ Liber  
prolixè, verè & graviter defenditur, scripto  
duplo majore, quam est ipsa Concordiæ Formu-  
la. Cum prodierit in publicum, leges quoq̃  
De obitu D. Musculi, jam pridem te certiore

V 3

esse

esse redditum puto. Rebus humanis ille ex-  
emptus est, elapso proxime Autumno, 29. Se-  
ptembr. Anno etatis 57. officij 40. A morte  
ipsius non est deliberatum, de alio novo Pro-  
fessore, sed D. Andreas Prætorius Gener, ipsi  
in munere Pastoritio successit, eiusdemq; lecti-  
onem publicam retinebit. Indigemus quidem  
præterea alio Professore, sed stipendium desi-  
deratur. Brevi in locum defuncti D. Muscu-  
li, eligetur Superintendens Marchiæ genera-  
lis. Vale optime in multos annos. Franco-  
furti ad Oderam 16. Februarij, Anno Chri-  
sti 1582.

T.

Christophorus Cornerus D.

ALIA LOCO PROOE-  
MIOLI, IN SECUNDA EDI-  
tione Latina, prioris Opusculi  
præmittenda.

STVDIOSIS VERAE DOCTRINÆ  
& Pietatis S.

*Libellus Reverendi &  
Clarissimi Viri, Domini Doctoris Iohannis He-  
derici, continens Examinationem Capitul. do-  
ctrinae*

*Er. no*

Erina & disciplina Fratrum VValdensium, in  
Bohæmia & alibi, non tantum utilis, sed hoc  
tempore planè necessarius est, ideoq; commen-  
datus vobis, Studiosi veræ doctrinæ, & gratus  
esse debet. Videmus hodie, quam multi sua  
hypocrisi sese insinuant, in amicitiam, gratiam  
& patrocinium Superiorum, & simplices ac  
incautos facile decipiant, & falsis opinionibus  
dementent. Qua in re hodie excellent Sacra-  
mentary seu Calvinistæ, perniciosum profectò  
genus hominum, ad quod proximè accedit hy-  
pocrisis, κακοπισία & simulata sanctimonia,  
devotio atq; fraus VValdensium Fratrum. Inter  
quos licet sint fortassis, qui non mali prorsus,  
& desperati videantur: tamen cum aliter lo-  
quantur, & aliter sentiant, & sæpe hoc futo,  
etiam viros magnos deceperint, atq; ita virus  
suum spargant, non apertè sed insidiosè, cogita-  
ri potest, quàm noceant Ecclesiis, & harum  
Ministris. Et quibus in partibus doctrinæ  
Euangelicæ, à nobis illi omninò dissentiant (ne  
qui perhibeant, fieri ipsis injuriam) hic libel-  
lus evidenter ostendit. Et afferuntur sæpe  
querelæ piorum hominum, de ipsorum insidijs,  
& simulata sanctitate & κακοπισία, qua Ec-  
clesiæ alioquin in Bohæmia tenerè turbantur.  
Egerunt nostri, Lutherus, Philippus & alijs

aliquoties cum ipsis, & sperarunt candorem,  
& studium eruditionis & pietatis, sincerita-  
tis, & **VERI CONSENSVS**: sed fru-  
strà egerunt & sperarunt, imò tandem se ab  
ipsis deceptos fuisse viderunt. Cum etiam ho-  
die se palam conjungant Calvinistis, quod spe-  
rari possit, facillimè colligi potest. Utinam au-  
tem lectione hujus libelli, moveantur nonnulli,  
ad veræ doctrinæ Confessionem, & Ministerij  
amorem, ad pietatem non simulatam, ad studi-  
um candoris abjecta hypocrisi, ad verum &  
salutarem Consensum in doctrina, cum in ipso  
fundamento, secundum Normam & Canonem,  
comprehensum Prophetis & Apostolicis  
scriptis, tum in explicatione Controversiarum,  
quæ in Forma Concordiæ, ad priorem illam Re-  
gulam & Normam, examinata & decisa sunt.  
Hoc qui facient, cum illis & in hac, & in fu-  
tura vita, amicitiam sanctissimè colemus, præ-  
sertim cum alioquin cationes ipsorum ple-  
rasquæ non improbemus, & conversionem, cum  
errorum emendatione, ipsis ex animo optemus.  
Hanc igitur **FILIVS DEI**, Dominus noster  
**IESVS CHRISTVS**, unicus omnium Servator,  
& cui omnis potestas, in cælo & in terra est  
data, ipsis & alijs, qui nunc veritati, vel fu-  
renter, vel insidiosè, vel ignoranter se oppo-  
nunt.

nnit



nunt, clementer largiatur, & nos in se ipso omnes & singulos unum faciat Amen. Lipsiæ mense Decembri, Anno 1581.

Nicolaus Selneccerus D. Superintendens Lipsensis, & in Ecclesia & Academia ibidem Pastor & Professor.

**EPISTOLA EIVSDEM  
DEDICATORIA, PRAEMISSA  
Orationibus quibusdam, in Academia Lipsica habitis, & impressis.**

Ad Senatum Reipub. Iglaviensis in Moravia.

*Amplissimi & prudentissimi Viri, Domini & amici colendi, Quoties recordor (recordor autem sæpissime) cursus Evangelij, multis ab hinc annis, apud vos mirabiliter propagati, & DEI beneficio huc usq[ue] conservati, toto pectore gratias DEO ago, pro immensa bonitate, qua præter & supra rationis humanæ captum, colligit & servat sibi Ecclesiam, in genere humano, & dominatur etiam, in medio inimicorum suorum, ut in Psal.*

V S mo

mo scriptum est. Et profectò summum DEI  
beneficium est, Ecclesias habere in Regnis &  
Rebus publicis, rectè & piè constitutas, puri-  
tate doctrinae caelestis, & Pietatis ac Discipli-  
nae nervis, atq; Doctores synceros, præceptores  
fideles, & nutritores, faventes Ministerio  
Verbi & Sacramentorum. Hanc laudem cum  
vestra Respublica habuerit diu, & obtineat  
etiamnum constanter, est cur & gratulemur  
vobis, hanc verè summam in hac vita felicitate-  
tem, & DEO gratias agamus, pro paterna  
bonitate, eumq; oremus, ut confirmet hoc idem  
in vobis, sub clementissimis alis Magistratus  
summi, quod operatus est, & à fecibus idola-  
triciis & fanaticis, Ecclesiam & Scholam ve-  
stram custodiat, & immunem servet. Habet  
jam vestra Ecclesia Reverendum & CL. Vi-  
rum Dn Doctorem Iohannem Hedericum Pa-  
storem, egregiè doctum, syncerum & candi-  
dum, cuius ut & Confratrum & Collegarum  
eius, opera & Ministerio, dexteritas in do-  
cendo & propagando Evangelio, & sano intel-  
lectu & usu Sacramentorum, fideliter apud  
vos illustratur & innotescit etiam exteris,  
praesertim cum accedat Spiritus principalis &  
spontaneus, quo vir ille strenuè contradicit, er-  
roribus maliciosorum hominum, sicut ex pio  
& eru.

& erudito libello eius, opposito erroribus  
Vvaldensium & Sacramentariorum, conspici  
potest. Utinam Germania haberet multos ta-  
les Doctores, qui & docerent docendo, & re-  
futarent errores, sine circutione & ambagi-  
bus. Sæpè cogito illud Lutheri, qui se paucis-  
simos tales novisse dicit. At inter hos sanè pau-  
cissimos, est quoq; vester Hedericus, quem ut  
Filius D E I vobis servet incolumem, ex animo  
precor. Pium par Fratrum est, D. Esaiæ Hede-  
ricus, Vratislaviæ Pastor, & vester D. Io-  
hannes Hedericus. Doctores Esaiæ fides, pie-  
tas & constantia, nota jam est Ecclesiæ CHRIS-  
TI, quæ ipsius pijs & utilibus laboribus, piè  
& utiliter utitur & fruitor. Et vestri Hede-  
rici accedit FIDES & industria. Hoc an non  
illustre par Fratrum est, in conspectu Filij  
D E I? Horum Fratrum Frater & ego esse cu-  
pio, coram DEO, & Ecclesiæ CHRISTI. Ut  
autem meum animum, erga vestram Rempubl.  
delectarem denuò, & me socium esse doctrinæ,  
quæ voce & Ministerio D. Hederici, in vestra  
Ecclesiæ sonat, ostendam, scribo hanc Episto-  
lam, additis nonnullis, quæ in Ecclesiæ & Aca-  
demia hac, in qua CHRISTO servio, testi-  
monium ferunt publicum, de consensu nostro  
& vestro, in doctrinæ cælestis Cōfessione &c.

Lipsiæ

Lipsiæ in morbo, pridie Calend. Martij, Anno  
1582.

ALIA.

Reverendo & Clarissimo Viro,  
Dn. IOANNI HEIDENRICHŌ, S.  
Theologiae Doctōri eximio, atq̃ Ecclesiae Dei  
apud Iglavienses Pastori, vicinarumq̃ Inspe-  
ctori vigilantissimo, Domino, amico  
& in Christo fratri suo ho-  
norando.

*S. in Domino, Reveren-*  
*de atq̃ Clarissime Dn. Doctōr, Literæ tuæ non*  
*hoc tantum nomine, mihi gratae fuerunt, quod*  
*noticiam mihi eam, quam ante biennium Iglav-*  
*viæ contraxeramus, in memoriam revocant,*  
*sed etiam propterea, quod ex iisdem colligo,*  
*familiaritatem hanc nostram, quam in poste-*  
*rum conservare & confirmare possumus, in*  
*CHRISTO IESU, & vera de DEO doctrina*  
*fundatam esse. Cum verò hoc firmissimum*  
*constantis amicitiae glutinum sit, nihil addubi-*  
*to, quin hac nostra, per omnem vitam constan-*  
*tiss. sit duratura: cuius etiam semina in alte-*  
*ram illam, verè beatam, & aeternam simus*  
*allaturi, Interim eam utrinq̃ scribendis lite-*  
*ris, &*

ris, & mutua benevolentia alamus: quod me  
constanter facturum esse polliceor. De libello  
tuo edito, quod cupit Magnificus & illustris  
Heros Iohannes Spanofsky, certior fieri, num  
ad nos sit allatus. sperabam quidem literas  
meas, Magnif. ipsius ea de re, dudum fuisse  
oblatas. Sed quia nonnunquam literae, in tan-  
to locorum intervallo, tardius redduntur, non-  
nunquam verò prorsus intercidunt: non gra-  
vabor breviter repetere: Tuum ipsum labo-  
rem pium, & ut prorsus confidimus Ecclesiam  
salutarem, **OMNIBVS COLLEGIS MEIS**  
**OPTIME** probari. Potuimus ex eo diligen-  
tiam tuam, quam in Ecclesia isthic locorum  
plantanda adhibes, & in doctrina **PURITA-**  
**TEM** ac constantiam colligere. Quod sanè non  
exigua, nos affecit lætitia, certoq; nobis per-  
suademus, laborem tuum in Domino, non fore  
inanem. Commendationem etiam insignem  
meretur, Magnifici istius Domini Pietas, &  
Zelus singularis, quia doctrinae puritatem, ad-  
versus hypocritas istos, & Simulatores, ser-  
tam testam cupit. **DEVS** ipsi quam diutissi-  
mam vitam, cum omni felicitate largiatur.  
Idem sanè ante hæc tempora, etiam à nostro-  
rum quibusdam petijt, ut de Erroribus **VVal-**  
**densium** scriberemus. At cum nobis nihil  
aliud

aliud

aliud de ipsis constet, quam quod vel fama pu-  
blica, vel ipsorum privata & simulata Collo-  
quia, vel libelli pauci ferunt, nullus nostrorum  
justam, in ipsos scribere posset reprehensio-  
nem. Longe optime itaq; factum, quod tu qui  
ferè inter ipsos medius vers. ris, & quotidie  
de ipsorum factis certior redderis, imò non-  
nunquam ipse intueris, de iisdem publicè Ec-  
clesias nostras monere voluisti. Nos cura-  
bimus ut in posterum simus cautiores, quam  
nostrifueri antecessores, malæ fidei Theologi,  
qui cum essent Sacramentarij, VValdensicorum  
Sacramentarium Confessionem, nuper ap-  
probarunt. Tibi verò DOMINI Spiri-  
tum precamur, ut porrò Scriptis tuis Ecclesie  
utiliter inservire possis. Interim precibus  
nostris, & te, & publicam istam Ecclesie  
causam, DEO commendamus, qui Ecclesie  
sue aderit, atq; te tuebitur. Bene vale in  
CHRISTO. Die 20. Maij Anno 1581.  
Vitebergæ.

R. T.

Studiosiss.

Polycarpus Leyser D. Superint.  
Vitebergensis, & ibidem  
in Ecclesia & Academia  
Pastor & Professor.

ALIA,

## ALIA.

Reverendo Viro, pietate, virtute,  
& eruditione excellenti, Dn. IOHANNI  
HEDERICO, S. Theologiæ Doctori,  
Superintendenti Iglaviensi, Domino ac  
fratri nostro in CHRISTO,  
reverenter CO-  
lendo.

## Gratiam & PACEM

CHRISTI Salvatoris nostri precamur.  
Legimus hisce diebus, Vir præstantissime,  
Scriptum Excellentiaæ tuæ, quod Francofordiæ  
ad Oderam excusum, in Bohæmiam allatum  
est, & oppositum Confessioni Fratrum Bohæ-  
micorum, sive VValdensium. In eo piè & e-  
ruditè refutatos esse vidimus, præcipuos erro-  
res, & superstitiones observationes, hominum  
fanaticorum, quas hætenus in hoc potissimum  
Bohæmiæ Regno, & vicino Moraviæ Marchio-  
nato, ubiq; locorum disseminare, ac fraudulen-  
tis consilijs, auditoribus nostris commendare,  
& obtrudere conati sunt. Pro quo labore pri-  
mum DEO gratias agimus, qui animi tui co-  
natus excitando, ad propugnandam verbi di-  
vini puritatem, dirigere dignatus est. Deinde  
& Exc. T. quod DEO per Magnificos quos-  
dam

dam Dominos & alios homines pios monenti,  
obedientiam præstiteris. Certissimum enim  
est, non parum emolumentum inde secuturum,  
& plurimos bonos Viros, quos hætenus Fra-  
terculorum hypocrisis, dubios & suspensos te-  
nuit, stabilitum iri, ut relictis congregationi-  
bus ipsorum, nostris Ecclesiis sese adjungant.  
Pauci Theologorum illis hucusq; contradixe-  
runt: Germanis enim erronea ipsorum Secta  
ignota fuit: Ac si qui Bohæmi quippiam tale  
aggressi sunt, supervacanea & πῶροστος tan-  
tum tractarunt. Unde factum est, ut illi auda-  
cius negotium suum propagarint, & hinc inde,  
nostrarum etiam Ecclesiarum auditores ad se  
pertrahendo sibiq; obligando, admodum dila-  
tarint. Excel. verò tua, re penitus introspe-  
cta, propius ad scopum collimavit. Id quod  
superba VValdensium hypocrisis, molestissime  
feret, & collectis undiq; viribus Excell. tuæ  
proculdubiò, & scriptis & insidijs nocere co-  
nabitur. Idcirco Excell. Tuæ hortatores su-  
mus, ut tibi quàm diligentissime ab eis cave-  
as, periculum defugias, & simul etiam in o-  
mnem eventum plura mediteris, ad propagan-  
dam veram sententiam, in hoc Libro tuo tradi-  
tam. Annotavimus nos quoq; ex eorum ob-  
scuris & perplexis libellis, idiomate Bohæ-  
mico



mico scriptis, Errores non paucos, quos Excell.  
tua trāsmissemus, nisi videremus ferè omnes  
in libello tuo diligenter revulsos. Conscripsi-  
mus & Tractatum peculiarem, de Stipendijs  
Ministorum Ecclesiæ, contra illos, quem Ex-  
cell. Tuæ si opus fuerit, siquidem nec typis ex-  
cusus, nec alioqui publicatus est, communica-  
bimus. Responsonem quam opponent VVal-  
denses Excell. tuæ Libro, cupimus nobis transf-  
mitti. Dabimus operam, ut Excell. tuæ non  
desimus. **DEVS OPT. MAX.** Excel-  
lentiam tuam nobis, & Ecclesiæ suæ oppressæ,  
diutissimè seruet incolumem, Amen. iterum  
Vale feliciter, & veritatem ut cœpisti, forti-  
ter defende. Data Kralovitiij 2. Calend. Maij  
Anno ultimi & tristissimi seculi 1581.

Excell. tuæ

Observantissimi

Michael Longolius, Pastor Ec-  
clesiæ Christi apud Kra-  
lovicenses in Bohœmia.

Matthæus VVeigelius, Pastor  
Ecclesiæ CHRisti, apud  
Potuorienses Bohœmos.

X

ALIA

ALIA.

Reverendo & Clarissimo Viro,  
Dn. IOANNI HEIDENRICH, S.  
Theologiae Doctori, & Ecclesiae Iglaviensis  
in Moravia Pastori fidelissimo, Do-  
mino & fratri suo col-  
lendo.

*S. Reverende & Clarissi-  
me Vir, Domine & Frater in Christo colende,  
Literæ tuæ semper mihi sunt gratae, & velim  
te saepius scribere, etiamsi non semper respon-  
deam, quia aut decumbo, aut domo absum, aut  
impedior alijs modis. Non sine dolore cogno-  
sco, quæ tibi acerba, licet cum alijs fidelibus  
CHRISTI Servis, & propugnatoribus Eu-  
angelicæ veritatis, inter hostes eius, commu-  
nia contingant, propter labores tuos, quos in  
refutandis Sectarijs, aut schismate à nobis se-  
gregatis, non curiosè aut leviter, sed necessariò  
& seriò, præstitisti in ijs locis, ubi res omnind  
id postulabat. Deplorandum id certè est, quod  
κακομυσία & hypocrisis VValdensium, ibidem  
eo usq; invaluerit, & potentiorum animos,  
etiam tantopere occupaverit, ut cum de puri-  
tate doctrinæ, contra falsa & pernicioosa do-  
gmata, quam maximè elaborandum esset, &  
sincerè*

synceri Doctores, qui illa solide refellere poterant, fovendi erant, adversus pias horum operas duriora statuatur. Nec video quid aliud queratur, isto Decreto, quod tuis literis inclusum legi, quam ut in posterum, majore securitate, tot tamq̄ diversæ, quibus Regio illa obruta est Sectæ, & fanatici earum errores latitare, ac nemine contradicente, ulterius radices agere possint. Nec mirum erit, si tandem tot Confusiones Religionis, in Politia & Oeconomia confusiones, cum pœnis publicis & privatis sequantur. Scriptum tuum seditionis & turbarum, **NULLO IVRE** insimulari potest, cum haudquaquam contra Magistratum (quod proprium est seditiosorum) populus aut subditi in eo commoveantur, sed de sana doctrina admittenda, & de falsa fugienda rectè illi informantur, adeoq̄ veræ Ecclesiæ ædificatio, non ejus destructio queratur. Nec furtim, ut fit in libellis famosis, sed accedente Censura & approbatione plurimorum bonorum, & in primis orthodoxorum Theologorum, quorum Judicia hîc jure requirebantur, scriptum illud est consignatum & editum. Refutantur item in eo publicè falsa dogmata, quæ editis in publicum Confessionibus, & aliis libellis sunt sparsa, & in angulis, in contemptum publici

Ministerij, in multis locis sparguntur. Sic quod-  
que si **FIDELITER** officio tuo fungi vole-  
bas, ferenda non erant scandala desertionis, in  
Ecclesia tibi commendata. Quod si hujusmodi  
Scripta, seditiosis aut famosis libellis equipa-  
rentur, iisdem accensenda erit, bona pars con-  
cionum, quibus Prophetae, **CHRISTVS** &  
Apostoli, contra detestandam idolatriam, blas-  
phemias, superstitiones & hypocrisin Pseudo-  
prophetarum, Phariseorum & Pseudoapo-  
stolorum usi sunt. Cum autem editio scripto-  
rum inter ipsos, & dum in Regione illa versa-  
ris, tibi non permittatur, nisi ea conditione, ut  
adverse & diversa Religionis Censoribus, a-  
deoq; hostibus, ea dijudicanda offeras, possent  
illa alibi locorum evulgari, ubi **DEI** beneficio  
libera veritatis & Confessionis nostrae Augu-  
stanae propagatio, & adversus quascunq; cor-  
ruptelas defensio, concessa est. De quo exem-  
pla quorundam aliorum, tibi non penitus igno-  
ta erunt. Ne ergo defatigeris quaeso, quia  
etiam in medio inimicorum, vult **CHRISTVS**  
suos habere Confessores, & Ecclesiam collige-  
re. Inter eosdem saepe etiam excitat aliquos  
potentiores, qui synceros Doctores, suo suble-  
vant patrocinio, sicut in isto Confessu, de quo  
scribis, Inclytum Comitem ac Dominum, Dn.  
Franco

Franciscum à Thurn & c. Seniore ( cui D E  
V S in æternum benefaciat ) ex tuis stetit  
partibus intelligo. Si ergò necessitas postula-  
bit, & neglecta inhibitione illa, VValdenses in  
Bohæmia, Protestatione aut Responsione sua,  
quæ vera scripsisti, evertere volent, ne dese-  
ras veritatem, cum gratia hominum divinæ  
non anteferenda, sed DEO plus quàm homini-  
bus obediendum sit. Ego etiam ut antea, in  
Præfatione Germanici tui Libri à me factum  
est, eandem tecum veritatem, donec vixero,  
profiteri non desinam. Nec dubito alios, ex re-  
fere sentientibus, etiam post nos, ubi opus erit,  
idem facturos. De obitu pientiss. Herois D.  
Iohannis Spanofsky, retulerat mihi Generosus  
Dominus Ferdinandus Hofman, Lipsiam tran-  
siens. Filius D E I eripit huic mundo, suas  
plantas & rosas, ac relinquit nobis urticas  
& spinas. Bene & feliciter in CHRISTO  
vale & vive. Lipsiæ 22. Aprilis Anno,  
1583.

T. T. T.

Nicolaus Selneceus,  
rus D.

os (?) 90

X 3

ALIA.

ALIA.

Clarissimo & excellenter docto  
Viro, Reverendo Dn. IOHANNI HE-  
DERICO, S. Theologiae Doctore, ver-  
bi divini in urbe Iglavia Concionatori, & vi-  
cinarum Ecclesiarum Inspectori, amico &  
fautori suo, singulari reverentia  
colendo.

CHRISTVS IESVS Excellentiam tu-  
am servet & salvet.

*Literas tuas Reverende*

Domine Doctore, fautor & amice reverenter  
colende, mihi legendas exhibuit, Generosus  
Dominus Ferdinandus Grispegius, ex quibus  
intellexi, quàm amice imò fraternè, de rebus  
plurimis, ad nostrum Reverendum D. Michae-  
lem Longolium, perscripseras. Sed eheu pien-  
tissimus ille DEI servus, in Domino iam qui-  
escens, Epistolam integerrimi amici sui, ocu-  
lis non conspexit. Obdormivit enim placidè in  
CHRISTO, correptus febris pestilentiali,  
Dominica II. post Trinitatis, superioris An-  
1582. Cum eo in vivis esse desiit, potissima  
pars sobolis ipsius, quam ut scis, satis numero-  
sam habuit. Vivit adhuc Coniunx ipsius vidua,  
cum duobus filijs, quorum major natus 16. mi-

nor

nor 13. annos habent, & duabus filiabus, quarum major duodecim annorum est, minor vero posthuma, à me post pium parentis obitum baptizata. Is moriens mihi (dimidium enim animæ meæ fuit) & Dn. Generoso Venceslao Crispeggio, præcipuo Patrono nostro, præteritis duobus germanis fratribus, omnia commendavit. Emigrarunt etiam ex hac miseriarum valle, in cælestem patriam, absumpti peste, hujus viciniae Pastores plurimi, plerique pijs & eruditi viri, ita ut ego ferè solus, cum paucis juvenibus, in summo mærore & squalore, ut potes conijcere, superstes manserim. Ita proh dolor nucleum amisimus, putaminibus relictis. Ideò summopere letabar, legens in literis tuis, commendationem D. Ioannis Lati, qui tamen ad nos non venit. Habuisset is meam priorem Parochiam, in Pago Potworow, sustentationem nimirum tolerabilem, & sic satis honestam. Nam ego D. Michaeli Longolio, piæ memoriæ, jam in officio, ita jubente Magistratu, sum successurus. Conventus & Colloquia nostra solita, vita defunctis præcipuis viris, interciderunt, reliqua omnia in Ecclesiis nostris, satis tristia & turbulenta sunt. In locis aliquibus, utpote sub Abbatibus & Monachis, subditi puriori Religioni addicti, magnam

gnam perpeſſi ſunt, & adhuc patiuntur perſe-  
cutionem, & defecerunt turpiter plurimi.  
**CHRISTVS IESVS** mifereatur noſtri,  
& det Eccleſiæ ſuæ afflictiffimæ Halcyonia, fi-  
nemq; huic mundo perversiſſimo, brevi faciat  
adventu ſuo, Amen. Hæc ad Excell. Tuam,  
de Statu Eccleſiæ noſtræ, perſcribere viſum fu-  
it. Quod ad *V*aldenſicos Hypocritas attinet,  
magno cum dolore percepi, Excell. tuæ ſilenti-  
um in iſto loco imperatum eſſe, & non niſi du-  
ra, imo & intolerabili conditione, editionem  
ſcriptorum permitti. Verum huic *N.* inhibiti-  
oni, Num obtemperare bona conſcientia **FIDE-**  
**LIS** aſſertor veritatis poſſet, præſertim Senio-  
ribus & Aſſectis *V*aldenſium, Proteſtatione  
vel Reſponſione ſua ( de qua fama ſpargitur )  
tibi, aut potius veritati, in poſterum contradi-  
centibus? Eja taceamus nos, & audiamus il-  
los egregios Doctoreculos, loquentes, aut ſcri-  
bentes, & auditores noſtros ſeducere patia-  
mur. Non negligas, Vir præſtantiffime, do-  
num quod in te eſt, ne colloces Lychnum ſub  
modio, ſis ſtrenuus miles in caſtris Domini, re-  
clamantibus etiam vel inferorum portis. Nam  
ſcis **DEO** magis obediendum, quàm hominum  
immaturæ, & maleſanæ prudentiæ. Tu ne ce-  
de malis, ſed contra audentior ito. **CHRIS-**  
**TVS**



STVS in ius causa defenditur, cuius gloria quaeritur, tibi Spiritu suo sancto aderit, corroboraturus cor & animum. Quicquid sanè tibi adversi acciderit, in statione tua, habes consolatorem in ærumnis, opitulatorem in adversitatibus, vivit adhuc CHRISTVS, qui subinde alios & alios Mecænates, & nutritores Ecclesie suscitatur &c. In summa, hoc tibi Doctissime Vir persuasissimum habere velim, te in barum regionum terras, non casu, non sine singulari DEI providentiâ, sed divinitus vocatum esse, ut in tot & tantis provincijs, sit & reperiat saltem unus, qui Ecclesie jam iam ruenti, & ruinam jam dudum minitanti, tam voce quàm scriptis utilibus, contra VValdenses, & eorum complices opem ferat. Ego & mei similes, longè inferiores sumus, quàm ut tale quippiam, quod abs te summa cum laude bonorum præstitum est, & adhuc præstari poterit, efficere possimus. Reliqua turba Pastorum inter Bohæmos, aut stertit secure, aut sectis pestiferis turpiter assentitur, aut cum illis colludit. Scripta VValdensium undiq; conquesta, hætenus legi diligenter, & errorum annotationem, in peculiarem libellum consignavi, quæ tibi omnia, à D. Michaele nostro, felicis recordationis, missa sunt. At jam occu-

X 5

patis

pationes vocationis mee tanta sunt, ut horum  
nihil vel legere vel annotare possim. Si DEVS  
felicem successum, in constituendis Ecclesiis  
vicinis, & reparatione ruinae dederit, sicuti  
jam paulatim opus illud prosperè nobis succe-  
dit, majorem ea in re adhibebo diligentiam,  
omnemq; movebo lapidem, ne vitam desidem-  
agam. Nam me distractio Ecclesiae, credas  
mihi, non parum afficit. Obijt in oppido Bo-  
haemiae Chyß eruditus Vir, Georgius Ferbe-  
rus, felicissimus & diligentissimus errorum  
VValdensicorum indagator, qui imperfectum  
opus contra VValdenses reliquit, quod ego jam  
præ manibus habeo. Illud si vixero aliquan-  
do ad Excell. Tuam transmittam. Antagoni-  
stæ N. feroci, qui tibi hactenus molestus fuit,  
instigatus fortè etiam à factione VValdensica,  
DEVS frenum inijciat. Ex superioribus lite-  
ris intellexi, eum cum te aliter traducere non  
posset, callidè & vafriè, suppresso tuo nomine,  
Theologorum quorundam iudicia extorsisse,  
( ut scribunt ) de phrasi illa, quæ non tua erat,  
sed quorundam Patrum, & D. Urbani Regij,  
de nomine Emanuelis, CHRISTVM esse  
divinum hominem, & humanum DEVM. Sed  
cum illa extra controversiam, & obiter saltem  
sis usus, nec ullo modo eam urgeas, sed te pror-  
sus

sus eam omittere, & primis autoribus suis re-  
linquere ingenuè profitearis, nullam, ob quam  
te carpat, causam habet. Quasi verò ab ipso  
tibi nunc demum sit discendum, CHRISTVM  
non Θεῖον ἀνθρώπου, sed Θεάνθρωπου dicen-  
dum. Quod si ipse eo modo se declarasset, quod  
ipse sua, de quibus certamina mota erant pa-  
radoxas, à Calvinianis arreptas, & per Anbal-  
dinos defensa non urgere, sed prorsus omitte-  
re vellet, proculdubio placidissimè ipsi tulisses.  
Idem VValdenses, si ingenuè profiterentur, de  
suis erroribus & paradoxis pro tua moderati-  
one, vix te amplius opponeres illis. Sed hoc ab  
hominib. duræ cervicis, & propositi sui eiusq̃  
mali tenacibus, expectari nequit. Deus igitur  
quascunq̃ feras sylvestres eiusmodi compescat,  
& tibi leoninam magnanimitatem donet, ut  
quoscunq̃ ursos, lupos, vulpes & canes, sicut  
& corvos & cucalos te adorientes & impe-  
tentes vincere, eorumq̃ insidias & pericula e-  
vitare possis, Amen, Amen. Data properanter  
Krabonicij die 12. Aprilis, Anno 1583.

Excellentiam tuam reve-  
renter colens

Matthæus VVeigelius, vero  
bi divini Minister.

ALIA.

## ALIA

Magnifico & Generosæ Nobilitatis  
tuo Viro, Dn. IOANNI SPANOVVSKY  
à Lysovv, Domino in Patzovv, & amico  
suo reverenter co-  
lendo,

*Salutem plurimam dico,*  
officia mea commendo, longævam valetudinem,  
cum successu summæ felicitatis prosperrimo, à  
DEO OPTIMO MAX. Tuae Generosæ Nobili-  
tatis, tuisq; omnibus ac singulis, ex intimo cor-  
dis mei affectu precor exoptoq;. Libellus à Re-  
verendo ac Ornatissimo Domino Doctore Io-  
hanne Hederico, contra VValdenses fratres con-  
scriptus, & T. G. N. dicatus, in lucemq; edi-  
tus, est mihi proximè à Filio meo Alexandro  
allatus, & T. G. nomine dono datus, què grato  
animo suscepi, eumq; cum quibusdam, non po-  
stremæ autoritatis, & eruditionis Viris, accu-  
rate cum oblectatione ac voluptate, legi audi-  
vi. Quod autem is apprime necessarius, &  
& verè salutaris Libellus, typis est excusus,  
intelligo hortatorem sedulum, & unicum auto-  
rem te fuisse, nullisq; sumptibus pepercisse. Un-  
de omnibus pijs facile patebit, te Augustana  
Com.

Confessionis verum amatorem, acerrimumque  
defensorem esse. Id quod mihi ita gratum  
est, quam quod gratissimum, siquidem Augu-  
stana Confessio, non tantum in omnibus Arti-  
culis, verum etiam (ut ita dicam) punctis,  
congruit egregie ac plane, cum doctrina Pro-  
phetica & Apostolica, quæ unica est verissi-  
ma & antiquissima, propterea quod eam Fili-  
us DEI D. N. I. CHRISTVS statim post la-  
psum Adæ, longè ante assumptam Humanam  
naturam, primis Patribus & Patriarchis re-  
velavit. Id quod ex scriptis & vaticinijs  
Propheticis, luce meridiana clarius est. Ego  
enim sic mihi pro certo iam persuasum habeo,  
nimirum quod si ipsi Prophetae, & ipse CHRIS-  
TVS cum Apostolis, illi Augustanæ Synodo, in-  
terfuissent, non dissonos seu discrepantes Arti-  
culos ab illis, qui in prima editione typis excu-  
si sunt, protulissent & approbassent: Licet il-  
lis quam plurimi sapientuli, quotquot sibi ni-  
mis sapere videntur, per omnia & alicubi non  
assentiantur. Sed hoc ego nihil miror, quod  
olim experientur, cum magno suo malo, omnes  
& singulos hosce Articulos, verissimos fuisse.  
Ita rectè piè ac sanctè, Generose Domine, ami-  
ce mi reverenter colende, facis, quod dictos  
singulos Articulos amplecteris, eisq; ex animo  
adisti.

adisti.

ad stipularis, & pro T. Autoritate, & excel-  
lenti virtute, contra Adversarios tuos atque  
defendis, Teq; ut & Subditos tuos, a nullis im-  
postoribus seduci sinis. Faxit hoc idem dein-  
ceps Æternus DEVS, Pater DOMINI NO-  
STRI IESU CHRISTI, qui te in hac vera,  
sincera & <sup>m</sup> corrupta veritate cœlesti, eiusq; pu-  
riore Confessione, usq; ad postremum halitum  
vitæ tuæ, conservare dignetur, & in hac tua  
vera, forti ac inconcussa fide te custodire, &  
tandem pie, laudabiliter, feliciterq; totam vi-  
tam finire in CHRISTO DOMINO faciat,  
Amen. Generosum Dn. Michaelem Spanofs-  
kium, Regni Bohæmiæ Protonotarium, Fra-  
trem tuum, nomine meo per occasionem offici-  
osissimè, & plurimum salvere iubebis, & tibi  
ac illi, Me, Filiumq; meum Alexandrum, qua-  
so commendatum habeas semper. Guttenger-  
gæ Bohæmorum, ex ædibus meis 5. Februarij  
anno salutiferi partus Virginæ 1581.

T. G. N.

Servitor & amicus

Venceslaus Podhradsky de  
monte lupino.

ALIA.

ALIA.

Reverendo & Clarissimo Viro,  
D. IOANNI HEDERICO, S. Theol  
ologiae Doctori, Iglaviae Ecclesiam DEI  
gubernanti, Domino & amico  
suo dilecto.

S. IN CHRISTO IESU.

*Reverende Vir, Domine*

& frater in CHRISTO dilectissime, Ago tuae  
Humanitati amanter gratias, quod me iuis li-  
teris, doctis & pijs, salutare dignatus es, &  
insuper libellum transmisti, quem ego liben-  
ter legam. Existimo autem te egregie bonum  
opus praestare, quod vValdensium fanatismos  
atq; errores, longe lateq; non solum per Bobe-  
miam & Moraviam, sed etiam per Poloniam  
& hanc Prussiam sparsos, Ecclesiae DEI palans  
ostendis, ac mones simplices, ut eos caveant,  
DEVS vicissim tibi benefaciet, & rogo, ut in  
ejusmodi Confessione, strenue per DEI grati-  
am pergas, nec patiaris te quorundam minis  
absterreri. Major enim est, quam ipsi sunt,  
qui te iussit contradicentes convincere, atq; ora  
ipsis obstruere. Non silendo & connivendo  
Diabolus fugatur, & errores ipsius propulsan-  
turo

turo

zur, sed confitendo. Mandatum DEI est, Clama, ne cesses. DEVS igitur tuis SANC T I S  
LABORIBVS aderit. Quod ad me attinet, minimus sum, inter confitentes Nomen DOMINI. Sed tamen socius esse cuperem omnium timentium DEVM, & custodientium mandata eius. Schwenckfeldianismum cuperem extirpare, quia multis adhuc in locis plurimum damni dat. Libellos ipsius plerosq; percurri, meoq; more, hoc est, simpliciter & plane Argumenta ipsius collegi cum Responsionibus, quae Lectorem monere possunt de praestigijs, quas offundit. Sed nondum pertexui opus. Valde gratum mihi officium praestaretur, quod & in gloriam DEI cederet, si quis hac in parte mihi auxilium praestaret. Quae so roges tuum Fratrem, Vratislaviensem Doctorem, ut mihi personalia Schwenckfeldij paucis designet, Vbi sit natus, qualia officia habuerit, Vbi circumerarit, quando & ubi expirarit, & quales ipsius fuerint mores. Memini me Schwenckfeldium aliquando videre Noribergae, sed pauca cum eo conferre poteram, cum essem homo iuuenis. Porro cum absim Regiomonte XX. miliaribus, & nunc intra aliquot annos ibi non fuerim, scribam de tuis rebus eo, prima quaq; occasione. Intelligo enim te plane ita statuere,  
ex isto



ex isto loco tibi migrandum, & jam per Cōn-  
siliarium quendam Principis, amicum vete-  
rem tuum, quo ad Episcopatum Sambiensem,  
tui in Aula Prutenica, mentionem factam esse.  
DOMINUM Messis oro, ut fideles operarios,  
in suam Messem clementer extrudat. Non au-  
tem dubitabis Vir praestantissime, quin DEVS  
tui sit habiturus rationem, & quidem benigne.  
Tu modò in Confessione veritatis, & refuta-  
tione falsitatis, alacriter persistas & pergas.  
Mirificat DOMINVS Sanctos suos, id est,  
mirabiliter regit, gubernat, ducit, transponit,  
prater & contra nostras cogitationes. Haec  
breviter volui delineare, ut intelligeres me &  
accepisse tuas literas, & amicitiam tuam  
mibi gratam esse. Peto igitur ut crebrius per  
occasionem, ad me scribas. Officia mea tibi  
amanter defero. Bene vale. Liebmolæ in  
Prussia, hac eadem hora, qua tuæ mihi reddi-  
tae sunt, 4. Maij 1585.

Iohannes VVigandus D.  
EPISCOPVS PO-  
mezaniensis,

os (?) do

Y

Y

ALIA

ALIA.

Reverendo & Clarissimo Viro,  
Dn. IOANNI HEIDENRICH, S.  
Theologiae Doctori, Ecclesiae Iglaviensis  
Pastori & Inspectori vigilantissimo,  
amico & fratri suo in CHRIS-  
to dilecto.

*Salus & Pax à Deo pa-*


*tre per CHRISTUM Θεάνθρωπον. Reverende  
& Clarissime Dn. Doctor, amice & frater in  
CHRISTO dilecte, Causa quae Antecessorem &  
Clarissimum Socerum meum D. Andream Mu-  
sculum P. M. compulit, ut scripto publico, in  
Bohæmiam, Moraviam, Austriam & Panno-  
niam misso, Ecclesias & Magistratus, penes  
quos est ius nominandi, eligendi & vocandi  
Ecclesiae Ministros moneret, ne Idiotas, rudes  
& ineptos homines, Ordinationis causa, per  
tanta locorum intervalla ablegarent, eadem  
me quoque movet, ut simile scriptum, hinc inde  
in istis locis publicatum repetam, & ad te  
quoque veterem amicum atque huic Academiae &  
Ecclesiae faventem mittam. Advolant enim  
haud raro, ex istis regionibus ad nos, qui non  
tantum Philosophicae disciplinae, & linguarum  
(quarum tamen cognitio ad studium Theolo-*

*gia*

gia, est necessaria & utilissima) prorsus igno-  
ri: verum etiam in Scripturis, & rebus sa-  
cris, adeo peregrini, ut aliqui vix partes Ca-  
techismi recitare, ne dum intelligere possint.  
Cognovimus quidem ex Libro tuo contra Fra-  
tres VValdenses edito, ita in Bohæmia & Mo-  
ravia, aut alijs locis, in quibus illi sedem suam  
fixerunt, in societate istorum fieri, ut Opifi-  
ces & Idiota, homines illiterati & rudes, ad  
docendum adhibeantur, in congregationibus  
ipsorum, quas in angulis simplices & incautos  
persuadendo, & specie sanctitatis & devotio-  
nis singularis, supra modum in multis locis ac-  
crevisse audimus. At verò nos haudquaquam  
admittere possumus, ut pessima huiusmodi ex-  
empla Fraterculorum (quos tu merito pro-  
pterea graviter refutasti) imitando, qui ad  
nos inde accurrunt, idem à nobis fieri petant.  
Absit enim absit, ut in curandis officijs sacris,  
aliquid quantum in nobis est, ex προαυρεσεως  
indignum loco nostro committamus. Quanquam  
enim sufficientia nostra ex DEO est, qui ido-  
neos nos facit Ministros Novi Testamenti, non  
literæ sed Spiritus: tamen Divus Paulus præ-  
cipit, ut docendi munus non nisi fidelibus, &  
ad docendum idoneis, quales illiterati, & opi-  
fices alijs negotijs occupati, esse non possunt

commendetur. Hoc igitur programma, admo-  
nitorium, literis inclusum, apud Vos vel val-  
uis Templi, vel Sacristiæ prout tibi visum fue-  
rit, ut affigi cures, & per occasionem Magi-  
stratus & alios qui ius (ut vocant) Patro-  
natus habent, de eo seridè graviterq; moneas  
officiose rogo. Intelligis ipse, hac in re DEO  
omnipotenti grata, & Ecclesiis nostris saluta-  
ria prestari. Status nostræ Civitatis, est tri-  
stis & lugubris. Peste quæ hoc Autumno hic  
grassata est, 1700. ferè, & in his tres Dia-  
coni Ecclesiæ nostræ interierunt. Speramus  
DEVM tandem in iræ fervore, misericordiæ  
sue recordaturum. Precibus tuis privatis &  
publicis, ut salutem Ecclesiæ nostræ DEO  
commendes, humaniter peto. Vale felici-  
ter, Francofordiæ ad Viadrum 8. Decemb.  
Anno 1585.

Andreas Prætorius D. Pa-  
stor & Professor in Ec-  
clesia & Acad. Fran-  
cofurtana,



ALIA.

## ALIA

Reverendo & Clarissimo Viro,  
doctrinarum & pietatis laude exornatissimo,  
Dn. Doctori IOANNI HEDERICO,  
Ecclesiae CHRISTI Iglavae Pastori,  
suo Domino affini & fratri  
pic observan-  
do.

### *Salutem per Dominum:*

Reverende & Clarissime Dn. Doctore, affinis a-  
mantissime: Literas tuas & scriptum, de ca-  
pitibus inter nos & Valdenses controversis,  
ante aliquot menses ad me missum accepi, &  
pro eius communicatione gratiam habeo. Quod  
autem meum de eo expetis iudicium, paucis  
perscribere id vix licet, nec Epistolae fert mo-  
dus, ut de capitibus discrepantiarum me peni-  
tus explicem. Cum etiam initio legissem il-  
lud, postea tradidi Dn. Seniori Samueli Hor-  
nio, Pastori Rudeloviano, qui eundem ad me  
nunquam remisit, ideoque iam mittere vicissim  
acceptum non cogito. Tribus in locis ipse an-  
te observavi, quomodo Valdenses à Confessi-  
one nostrarum Ecclesiarum recederent: De  
Ecclesia: De Sacramentis: & de Ministerio.  
Hæc abs te in plura capita distincta video, ma-  
jorem

forem ob evidentiam. Estq; additum primum  
caput de Persona CHRISTI, sive corporis ipsi-  
us in certo loco alligatione. Licet quidem in  
loco de Cæna testentur nimis aperte, quod præ-  
sentiam veri corporis non credant, rectaq; ad  
castra Cinglianorum & Calvinistarum transe-  
ant Ministerium VValdensium cum non late  
pateat, etiam Ecclesiis non obtrudet istas san-  
ctiones, & observantiæ Regulas &c. Saltem  
igitur in negotio Sacramentali edocerentur. &  
nunc non secum conjunctos haberent istos pro-  
fugos, qui sine dubio eorum mentes exasperant,  
& contra veritatem accendunt. Tantum, in-  
quam, liberarentur ab illo Sacramentario fu-  
rore, quem aliquando corrigere cum visi sint,  
eodem rursus correpti sunt. De reliquis par-  
tibus deinceps quomodo constitueretur, vide-  
rent Magistratus, aut quibus iudicium Eccle-  
siæ commissum esset. Ad te quod attinet, de  
labore, & diligenti propagatione veritatis,  
quantum nunc pro necessitate requiritur, nihil  
prætermissum existimabo. Sufficere etiam ar-  
bitror, tuam si liberaveris Ecclesiam, ab il-  
la distractione & disturbance, quam primo  
occasionem dedisse scriptioni & oppositioni  
IVSTÆ animadverio. Forsan aliqui ex ipsis  
intelligent, in precipuis partibus, quantum  
hactē

hactenus aberraverint, paulatim etiam desistunt repugnare, aut remittunt ab inveterata sua persuasione, cum lucem veritatis iam intueri incipient. Quod si obstinati in erroneis opinionibus & constitutionibus suis persistendum non solum, sed & reclamandum putabunt, tuo tamen officio te functum esse constabit, & recte sentientes testimonium τῆς εὐαγγελικῆς tibi præbituros, nō dubitabis. Denique pro dexteritate iudicii & ingenij tribuam tibi id, quod nihil ad gratiam aliorum, & privati causa commodi institueris, quodq; post hac in his controversiis probe versatus, multum Ecclesiis consulere possis. Sed de his alias plura. Vale in CHRISTO optime & diutissime. Salutant te mei omnes, cum Sorore tua matrefamilias. Suidnitzij Silesiorum 17. Maij Anno 1582.

T. R. D.

A. S.

M. Iohannes Pelægus Ecclesie ibidem Pastor.

Y 4

ALIA

## ALIA.

Reverendo & Clarissimo Viro,  
doctrina & pietate excellenti, Dn. IOHANNI  
NI HEDERICO, S. Theologiae Do-  
ctori eximio, nec non Ecclesiae Iglaviensis in  
Moravia Pastori dignissimo, Domino & am-  
mico suo, ut veteri ita dilectissimo, & re-  
verenter ac officiose con-  
lendo.

*Salus à DEO pacis, qui  
reduxit à mortuis, Pastorem ovium illum ma-  
gnū per sanguinem Testamenti aeterni, Domini  
nostrum IESUM. Reverende & Clarissime  
Dn. Doctor, cum propter parentum tuorum  
(quibus aeternum bene sit) eximiam pieta-  
tem, tum propter Ingenij tui singularem mode-  
stiam, & excellentem doctrinam, mihi ex in-  
cunabulis tuis dilectissime: Praesentium ex-  
hibitor improbus, urget secundas nuptias, cum  
deserta, de qua superiori tempore totius Mini-  
sterij nostri in Vrbe Glacensi & territorij eius  
nomine ad R. V. D. scripsimus, petivimusq; ut  
desertor, publicis literis nostris, valuis vestri  
Templi affixis, peremptorie citaretur, nec non  
de Suggestu publica denunciatione in ius vo-  
caretur. Hoc autem an Magistratus vestri  
volun-*



voluntate & consensu effectum sit redditum,  
nec ne, cum ambigamus, reverenter petimus,  
hoc ipso Sponso, literis vestris illud nobis signi-  
ficari, ne alicubi turpiter impingamus. Rur-  
sum vobis gratificabimur, sicubi studia & of-  
ficia nostra vobis præstari volueritis. Cæ-  
terum Reverende & CL. Dn. Doctor, Filius  
meus M. Georgius Eisingus, qui hodie 25.  
Aprilis, legitime ex sua statione decenniali Ha-  
belswerda evocatus, ad gubernandam Ecclesi-  
am Oppaviensem se contulit, jucundissimum &  
gratissimum sibi habuit, non solum quod ex  
R. D. T. manibus, aureo libello, in publicum,  
postulante necessitate & utilitate communi, e-  
dito donatus fuit. Verumetiam cum primis,  
quod animadverterit, quanto zelo, & quam  
excelsa animo, posthabitis odijs & periculis  
atrocioribus, hypocrisis imò impietati Picar-  
dorum sive VValdensium sese opposuerit. Ego  
verò multò ante, cum ex Catalogo Nundina-  
rum Francofordensium cognoscerem, hoc illud  
Scriptum tuum, Francofurti cis Viadrum, ty-  
pis excusum extare, gaudio exili, nec quievi  
donec ex Typographia Eichornij ad me perfer-  
retur. Quinimò D E O, multis mei pectoris  
imis suspirijs, gratias egi, quod suo Spiritu re-  
rexit, ut tam succincto & erudito stylo facerem  
istorum

istorum hominum, ex Bohæmia & Moravia in  
Silesiam huc usq; excurrentium, & multos  
passim ex nostris etiam auditoribus (hactenus  
nemine ferè repugnante, sed haud paucis id  
admittentibus, aut conniventibus.) seducenti-  
um, detegere & refutare poteris. Macte  
virtute, mi Dn. Doctor, nec cessa in posterum,  
in retundendis & resillendis huiusmodi Se-  
ctarijs, operam & studium, licet difficile &  
arduum, tamen valde necessarium, & FIDE-  
LI ATQVE PERITO Theologo dignissimum  
præstare, & orbi Christiano declarare. Nam  
Valdenses, Schwenckfeldiani, Anabaptista  
& similes fanatici, præter singularem, quam  
præ nobis simulant sanctimoniam, ad decipi-  
endum & seducendum, incautos & simplices,  
utuntur obscuro, intricato & ambiguo dicendi  
genere, eoq; dogmata sua falsa involuunt, ne  
facile intelligantur & perspiciantur. Ergò hic  
opus hic labor est, & excellens ingenium &  
Iudicium requiritur, si quis illa eruere, discu-  
tere, à veris discernere, & in publicum Eccle-  
siae commodum, ex Sacris Scripturis, dextrè  
& nervosè refutare velit. Hoc ergò cum  
R. V. D. in suo Libro præstiterit, & adhuc per-  
gratiam DEI præstare possit, quo plus inge-  
nij, industriæ laboris & prudentiæ in iisdem  
admi-

adhibuerit, eò plus laudis & gratitudinis ei  
referenda erit. Quare si ut cepisti perges, to-  
tam sic posteritatem, in vera DEI, & ortho-  
doxa Ecclesia (quia *V*aldensium & fanatico-  
rum cavillationes, aut in salus, quibus contra  
te prodibunt, suscipere deq; habebis) tibi summa  
gratitudine devincies, Nati natorum & qui  
nascentur ab illis predicabunt in omnem aeter-  
nitatem, in Ecclesiam studium & officium.  
Quod precipit Apostolus, tam fideliter  
docendo, quam contradicentes convincendo,  
excita donum quod in te est. Ego jam grandæ-  
vus, non memini quenquam, tam erudita per-  
spicua & succincta methodo, sive sine ambagi-  
bus, & sine alienis à scopo rationibus, in com-  
monstrandis & refutandis, *V*aldensium & si-  
milium fanaticorum, erroribus atq; delirijs,  
unquam usum esse, qua tu usus es, in aureo li-  
bello tuo, quem ego quotidè exosculor. Sed  
abrumpe calamum, ne te in os laudare, & ni-  
mium auribus tuis tribuere videar. Denn  
das Werk zeigt den Geist & D E E S /  
und lobet selbst den Meister. Filius meus  
M. Georgius R. D. T. cum debita gratitudine  
Ave & Vale adscribit, D E V S in multos an-  
nos faciat te salutare organon, ad incremen-  
tum Ecclesie sue, per & propter Archipastorem

1613.

rem nostrum, Filium suum, Amen. Glacii Si-  
lesiorum 25. Aprilis Anno 1586.

T. V. D.

Studiosissimus &  
observantiss.

Andreas Esingus, Comitatus  
Glacensis Professor  
& ibidem Ecclesiae,

ALIA.

Clarissimo Viro, virtute, pietate  
& eruditione excellenti, Dn. IOANNI HE-  
DERICO, S. Theologiae Doctori, Ecclesiae  
Iglaviensis Pastori, & vicinarum Inspectori  
vigilantissimo, amico & fautori suo,  
singulari reverentia co-  
lendo,

Eandem salutem, rerumq; omnium prosperi-  
tatem, Excel. T. a DEO Opt. Max.  
ex animo reprecatur.

*Literae tuae 9. Aprilis Iglavia*  
ad me scriptae, à Cive vestro mihi exhibita  
sunt, quae ut mihi gratissimae, ita etiam eo no-  
mine iucundissimae fuerunt, quod Excell. T.  
mei, tam longo itineris intervallo distiti, &  
nomi-

hominibus tantum noti, hactenus inter arduas,  
officij occupationes, oblita non fit. Oro igitur,  
ut sicuti hucusque mei, multoties honeste  
recordatus es, ita etiam in posterum mei me-  
minisse digneris. Ego non solum fortuna, ve-  
rumetiam eruditione, aliisque Spiritus sancti  
donis longe inferior, amicitiam cum Excell. T.  
per literas in tam, deinceps constanter tueri  
& fovere non desinam. Studium & conatum  
Iglaviensium, te invitum detinere volentium  
ego probo, & vehementer laudo. Utinam ho-  
mines pii, abs te noti compotes fiant. Nam  
uti mutationes doctorum virorum, hinc in lo-  
cis periculosa, & cum magno detrimento con-  
iuncta sunt ita eos vereri suspicor, ne vigili  
Pastore remoto vicissim Vrsi, lupi graves,  
corvi & cuculi in ovile Domini irrepant Do-  
ctorum virorum, in Imperio Romano, praeser-  
tim vero in Urbibus imperialibus, magna est  
frequentia, nec patitur Ecclesia in Germania  
defectum eorum, qui veritatem scriptis pro-  
pugnant. At in Bohemia & Moravia, ut scis,  
Ecclesiae longe alius est Status, nempe miserrimus  
& afflictissimus, qui opus habet praesen-  
tia & adminiculo eorum virorum, quibus er-  
rores Haresium & Adversariorum, cogniti  
atque perspecti sunt. Quapropter omnibus modis

¶

dis cuperem & exoptarem, ut te Auditoribus  
tuis exorandum praberem, & in pristina sta-  
tione maneres, quo insultus adversariorum  
crebriores, eo commodius abs te profligari  
queant. Scripta schismaticis opponenda, meo  
iudicio, per alios (si modo ab Excell. T. fue-  
rint composita) extra periculum versantes,  
evulgari possent. Sed tu fortassis hæc omnia,  
jam dudum multò rectius perpendisti, ideò hæc  
de re prolixior esse desino. Faxit DEVS ut  
si vel Iglaviæ, vel Brunswigæ, vel alibi vixe-  
ris, Ecclesiæ bonum fideliter promoveas Amen.  
Hoc unicum addo & oro, ubicunq; post hæc, per  
DEI benignam clementiam tibi vivere contin-  
get, ut me data occasione, ea de re certio-  
rem facias, & de omnibus rescribas, ne amicitia  
jam pridem, inter nos inita, temporis diuturni-  
tate vilescat, aut silentio longiore oblitteretur.  
Quod attinet ad novam VValdensium Apologi-  
am, sive Responsonem, nihil prorsus de ea peri-  
cepi, imò nec Protestationem illam Bohæmi-  
cam, utilissimo Scripto tuo oppositam vidi.  
Nam tanta est illius Sectæ calliditas & ver-  
suta, ut libellos suos, quos in lucem edunt,  
tantum suis asseclis in manus tradant, ab exte-  
ris verò occultent, & quos sibi iniquiores esse  
animadvertunt, à scriptis suis arceant. Dialo-  
gus


opus Sturmij Pontificij contra VValdenses, Lati-  
ne vel Germanicè scriptus, mihi visus non  
est, neq; in eo quicquam inveniri iudico, quod  
nobis prodesse possit. Impudens enim subsan-  
nator ille Iesuiticus, æquè nostram Religio-  
nem, ut VValdensicam Sectam, ridet & ca-  
lumniatur. Vinam habeas à latere fidum A-  
chatem, regij ðvegyptolinguæ Bohæmicæ & Ger-  
manicæ peritum qui tibi chartas & libellos  
VValdensium, Bohæmico Idiomate scriptos,  
commode & propriè explicare possit. Hac ra-  
tione longè uberior occasio, & materia scri-  
bendi, convincendi & confundendi eos tibi da-  
retur. Quam fortunam inserviendi Ecclesiæ  
mibi ipsemet optarem, si scirem quomodo, &  
qua Occasione tecum vivere possem. Latus  
noster Pastor in Valle Rosarum vivit & va-  
let, sed propter loci distantiam hætenus, nec  
mecum nec cum alijs eruditis & synceris Pa-  
storibus, nostri territorij conjunctionem colo-  
re potuit, tantum semel me convenit, notici-  
amq; mecum contraxit. Nunc ut audio illinc  
iterum discessum parat, & circa Festum Gal-  
li, in Dominio Vorlick, Liberi Baronis à  
SSuamborg, vitam degere cupit. Causa dis-  
cessus me latet, & de eo proculdubio ex ipso  
D. Lato brevi plura cognosces. D E V S mise-  
rea

reatur nostri, & Ecclesie sue, & det nobis,  
vel in hac, vel in futura vita mansiones firmi-  
ores. Oretenus cum Excell. T. colloqui, mul-  
to esset tutius & iucundius. Si circa ferias  
Pentecostes Brunswigam, quod scribis, ad  
officium Superintendentis vocatus, cum Fami-  
lia tua, per Bohæmiam transibis, obsecro fac  
ad me, vel ad alios fratres meos huius territo-  
rii divertas, & mihi de adventu tuo significes.  
Cupidissime enim ad Excell. T. veniam, dulci  
& utilissimo tuo Colloquio fruiturus. Felici-  
ter vale in Domino I E S V, omnium nostrum  
Salvatore, & me ut jam dudum cœpisti ama-  
püsque precibus tuis D E O commenda. Hoc  
itidem à me, pro universa domo tua, sedulo fi-  
et. Data properanter in oppido Kralovitz,  
19. Aprilis Anno 1586.

Excell. T.

Observantissimus

Matthæus VVeigelius  
Minister verbi di-  
vini ibidem.



ALIA



ALIA EIVSDEM, PRO  
œmñ loco VValdensium Tractatui,  
de OBLIGATIONIBVS, é Bohœmi  
co translato, præmittenda, & nunc odiosissi  
mæ Antagonistarum Negativæ, cap. 2. Dis  
crep, Not. V. & cap. 4. Notat, I I, &  
alijs necessarió oppo  
sita,

*S. Miraberis non immeritò*

*benigne & amice Lector, quod stylus aut  
phrases Scripti huius, linguam vel proprieta  
tem, phrasium Germanicarum, non redoleant,  
& dices proculdubiò ejusmodi obscuras, con  
fusas & inusitatas locutiones, ut non à doctis  
sine offensione legi, ita nec ab Idiotis intelligi  
posse. At verò si Originale ( ut vocant ) Bo  
hœmicè à VValdensibus conscriptum introspi  
cies, statim mirari desines, & ipsemet cogno  
sces, me metas fidelis Interpretis, non transi  
lisse, multaq; magis propriè & dexterius ex  
posuisse, quam ab illis initio composita sunt.  
Video multa data opera, obscure & intricatè  
posita esse, ut habeant effugia errorum, ibi oc  
cultè latentium. Si enim candidè agere, &  
sententiam suam apertè declarare vellent,  
quorsum pertineret, aut opus esset, cardinem  
loci aut rei, de qua agitur, toties ejusmodi in  
Z volu*

Volacris tegere, incrustare, cothurnis & am-  
biguitatibus includere, & incoherentia ver-  
borum studere, ita ut vix, ac ne vix quidem  
docti, nedum simplices & plebei homines, sen-  
tentiam & propositum eorum assequantur. Sed  
reservare eos multa privatae interpretationi,  
quae domi intra suos parietes, & in suis lati-  
bulis, pro placito torqueant & amplificet, ade-  
oq; scriptis suis Mundum ludificare ipsos, quis  
non videt? OBLIGATIONEM SVAM, qua  
recipiendos in societatem suam, & iam rece-  
ptos, quam maxime obstrictos habere labo-  
rant, hic nominant Smlau reu Zakona vvyry,  
cum haec appellatio, non tantum inusitata, sed  
etiam incongrua sit, & à nemine facile, nisi  
qui Waldensico errore jam pridem, & priva-  
ta quadam informatione imbutus est, percipi-  
atur. Sic tractant quoq; plerosq; doctrinae suae  
Articulos, de quibus nunc metaphoricè, nunc  
Allegoricè, periphrasticeq; ita loquuntur &  
scribunt, ut ignorantibus, & non ad technas eo-  
rum assuefacto, garrere & nugas spargere po-  
tius, quàm res serias tractare videantur. Ipsi  
verò inter se eiusmodi obscuritatibus, perple-  
xitatibus, & cothurnis assuefacti, probe per-  
cipiunt, quid sibi velint, & nos simplices, can-  
didos & apertos Germanos & Bohæmos egré-  
gie rident, imputantes hanc ignorantiam stulti-  
tias

ditati & inscitia nostra. Videte, inquiunt  
quam parum hi Pastores in sacris profecerint,  
quomodo à DEO dementati sint, ita ut nec sim-  
plicissima scripta nostra intelligant. Habebis  
quoq; in hoc scripto copiam exemplorum, quo  
pacto sacram Scripturam, citare seu allegare  
didicerint, videlicet in sensu alieno, & ple-  
runq; peregrino. Hoc modo enim utuntur non  
paucis, tam Veteris quàm Novi Testamenti  
dictis, sic ut ea quæ de Circumcisione vel Ba-  
ptismo loquantur, ipsi violenter ad obligatio-  
nes suas pertrahant. Item, ea quæ testantur  
de eodem Baptismo, detorquent illi ad Ministe-  
rium verbi. Idem de plerisq; alijs cognoscere  
licebit. Qualis citatio, exempli gratia, hæc est:  
Nisi quis renatus fuerit (inquiunt illi) ex fide  
sancti Euangelij, non videbit regnum DEI. Ta-  
les igitur imposturæ, cum in alijs etiam scriptis  
ipsorum, ubiq; obviæ sint, quis pius & ve-  
ritatis amans, eas æquo animo feret aut leget?  
Quid dicam de temeraria, vel potius impia  
condemnatione omnium hominum, qui se illis  
non obligant, quod non visuri sint regnum DEI,  
nec juxta voluntatē DEI vitam instituere pos-  
sint. De ea videatur hic Tractatus fol. 7. Sed  
cum mei instituti non sit, errores eorum omnes  
hic perstringere, plura de his verba facere de-  
sino. Cupio tantum Lectorem placidum mone-

re, ut scripta eorum non obiter legat, sed accurate consideret, quid monstrant, & quomodo subdole, & non sine technis virus occultent, in his scriptis suis. Sunt quidem *VValdensium Seniores*, cum *Ministris suis*, *mæchanici*, exercent opificia, præ se ferentes simplicitatem &c. At certè libelli eorum, prodant eos esse duplices, & simulatione simplicitatis, nobis *Euangelicis Ministris*, nostrisq; auditoribus insidiari, & ad nocendum *Ecclesiis nostris*, omninò intentos esse. Cum simplicitate pugnant, omnes eorum sententiæ & explicationes obscuræ, intricatæ, perplexæ sophisticæ, falsæ. Quare non sine attentione singulari, censeo legenda, & examinanda esse, omnia eorum scripta, testorq; hoc meo chyrographo, me absq; præiudicio hunc *Tractatum de Obligationibus VValdensium*, ex *Bohæmica* in linguam *Germanicam* transtulisse. Absit à me procul, ut quenquam versione mea decipiam, qui serio scire cupit, qualia sint scripta *VValdensium Bohæmica*. Lege igitur versionem *Germanicam*, eamq; cum *Bohæmico scripto* confer, & videbis me ab eorum sententia, ne latum quidem unguem deflexisse. Postremo oro atq; obtestor viros doctos, ac veritatis *Euangelicæ* amantes, per *CHRISTVM*, & gloriam eius, ut conjunctis viribus, *Fraterculorum fraudibus* & imposturis

posturis

posturis resistent, Deiq; donis clementer in se  
collatis, ad provehendam gloriam eius, & ad  
propugnandam veritatem, pie utantur. Inpri-  
mis verò excellentem, & in his controversiis  
exercitatum Theologum, Dn. Doctorem Ioan-  
nem Hedericum, ( qui haëtenus ad duodeci-  
mum usq; annum, in vicinia VValdensium, Ec-  
clesiam Augustanæ Confessionis addictam, vigi-  
lantissimè rexit, & contra excursionses & in-  
jurias eorum, voce ac scriptis **FIDE OPTI-  
MA** propugnavit ) reverenter oro, ut in propo-  
sito suo pio, utili & necessario pergat, ac publi-  
co omnium nostrum nomine, hos Unitatis Fra-  
tres, ubi contradixerint, posthac etiam stre-  
nuè adoriatur, verboq; divino convincat, ut  
confundantur, & saltem aliqui ad **DOMINUM**  
convertantur, cæteri autem, vel nostri Audi-  
tores, contra ipsorum errores, & seductionem,  
solide præmuniantur, ne in posterum ipsorum  
seductionibus, relinquât locum. Cum etiam pe-  
culiariter huic Dn. Doctori, Tractatum de  
Obligationibus, discutiendum & dyudicandum  
exhibuerim, eundem oro, ut si re ita postulan-  
te, illum in publicum edere velit, hanc Prafa-  
tionem Germanicè redditam, præmitti curet,  
ut simpliciores quoq; de his præmoneantur, &  
quæ mea non solum, sed & plurimorum alio-  
rum hujus in Bohæmia territorij Pastorum,

qui vel elapsis annis é vivis excesserunt, vel  
etiamnum vivunt, de præcavendis VValdensi-  
corum excursorum falsis dogmatibus, hypo-  
crisi & seductionibus, concors sententia, dili-  
gens studium, & iusta sollicitudo fuerit, palàm  
cognoscatur. CHRISTVS IESVS, cuius res hîc  
agitur, cuius gloria & veritas queritur & de-  
fenditur, plures doctos Viros, dignetur excita-  
re, & Spiritu suo sancto, ac zelo pio armare,  
ut fortiter pro veritate pugnantes, vires animi  
& corporis conferant, & nominis sui san-  
cti gloriam, & Ecclesiæ salutem,

Amen, Amen.

FORMVLÆ OBLIGATI-  
onum, quibus se recipiendi, in Vni-  
tatem Fratrum Bohæmicorum astringunt, Lat-  
inis verbis, ex Bohæmico sermone, quo  
Seniores VValdensium ut plurimū  
utuntur, conceptæ.

MAGNIFICIS DOMINIS SPA-  
NOFSKIIS Anno 1582, inter alia exhib-  
itæ, & nunc eidem Negativæ, plus  
quam odiosæ, oppos-  
itæ.

I. Petisne recipi in nostram Communitatem?  
Peto.

II. Tenesné Orationem Dominicam, Symbo-  
lum, & Decalogum? Teneo,

Recita

- III. Recita corā hac congregatione? Recita.
- IV. Credisne hanc Vnitatem esse particulam Ecclesie sanctae? Credo.
- V. Credisne hos Ministros esse veros legatos CHRISTI? Credo.
- VI. Credisne quicquid haec Ecclesia observat boni, Vt Ordinem, Obedientiam & Obligationes, illa omnia esse salutaria? Credo.
- VII. Visne sponte & liberè, ac sine ulla coactione ad eam accedere? Volo.
- VIII. Promittisne fidelitatem, constantiam & perseverantiam in ea usq; AD MORTEM, quicquid tandem discriminis honorum, bonorum vel vitae sustinendum sit? Promitto.
- IX. Promittisne te velle obedire Ministris in admonitionibus, increpationibus, Institutionibus? Promitto.
- X. Visne renunciare Antichristo, & operibus meritisq; eius? Volo & Renuncio.
- XI. Promittisne DEO, & Vnitati nostrae Fidem & Constantiam usq; AD MORTEM, idq; stipulata manu, loco IVRAMENTIS? Promitto.
- XII. Visne renunciare carni Mundo, Diabolo & operibus eius, superbiae, invidiae, odio, avaritiae? Renuncio.
- XIII. Hic percussisti fœdus cum DEO, coram

*Iam tota hac congregatione, in testimonium,  
quod velis in eo perseverare, usq̄ AD MOR-  
TEM, licet eveniat tibi, quicquid evenire pos-  
sit. Hic habemus contra te testes DEVM, &  
totam hanc sanctam congregationem.*

*Vicissim certò sciatis, quod vobis perhi-  
betur hinc Testimonium: Si in hoc fœdere per-  
manseritis, salvabimini. Quod si recesseritis,  
de inferno ad quem tenditis, ne sitis solliciti.  
Adjuvet vos in perseverantia Deus Pater cœ-  
lestis, Filius & Spiritus sanctus.*

*Iam habetis IVS in Ministerio huius V-  
nitatis.*

*Promittisne te nullam doctrinam pere-  
grinam, ab aliovis Ministro accepturū, & qui-  
dem nullo modo? Promitto.*

**ALIA FORMVLA RECEPTIO,**  
nis Fratrum brevior, excepta Boleslavix  
die Lunæ, quæ erat Sigilmundi  
Anno 1579.

*I. Credisne te una cum Pharaone in ma-  
ri rubro perijisse? Credo.*

*II. Credisne te fuisse ovem perditam,  
nunc verò in vitam reductam, & te fuisse sa-  
lem perditum? Credo.*

*III. Credisne te fuisse filium perditio-  
nis? Credo.*

*IV. Credisne te bibisse ex calice bestie  
Babylonicæ? Credo.*

*V. Cre.*



V. *Credisné te fuisse lumen sub modium  
positum? Credo.*

VI. *Credisné te perituum fuisse, ut So-  
doma & Gomorrha, aliæq; Civitates, nisi ve-  
nisses Buntzelium, (Bohæmorum, vel Trero-  
viam, Euantitzium, Trebitzium, Tetschitzi-  
um & c. Moravorum) Credo.*

VII. *Credisné te perituum fuisse, nunc  
verò ex quo tempore te recepisti, certum esse de  
salute? Credo.*

VIII. *Promittisné perseverantiam in hac  
fide ad finem vitæ? Promitto.*

IX. *Promittisné DEO & mihi, quod bo-  
nestè vivere velis in hoc mundo? Promitto.*

X. *Promittisné te omnia præstiturum,  
qua in Baptismo à te suscepto promisisti?  
Promitto & c.*

FORMVLA EXCOMMVNICA-  
tionis, Fratibus Bohæmicis  
recepta.

*Iuda eris maledictus, veniat super te o-  
mnis illa maledictio, quam edidit DEVS per  
Mosen, super eos, qui recedunt ab eius man-  
datis. Recidant in te omnia peccata, quæ tibi  
remissa erant, in novo fædere, quæ perpetrasti  
à tua iuventute. Nemo tecum conversetur,  
nemo fidelium te salutet. Sis exclusus à so-  
cietate Dei sicut Iudas, & Diabolus infernalis.*

*Hinc Reus manibus apprehenditur, & protruditur foras, & ad eum dicitur: Ito & sis commendatus omnibus Diabolis, & servias eis, tanquam illorum mancipium &c.*

**A L I Æ E P I S T O L Æ, A**  
Primarijs Academiarum Theologis,  
D. Tilemanno Heshusio, D. Martino Chemnicio,  
D. Polycarpo Leifero, D. Simone Paylli, circa editionem prioris opusculi D. Hederrici, Germanicè ad Magnificum Dn. Spanofskium scriptæ, Germanicis Tractatibus alias adungi poterunt.

**I O H A N N I S A V E R B E C C H I D O**  
ctoris, P. Causæ ob quas Fratres Boleslavienses, in privatis ædibus ñs in locis concionantes, ubi publicè verbum DEI PVRE prædicatur, non rectè faciant.

*Scripta in Bohæmia Anno 1593. Mense Maio, & nunc oppositæ Respondentibus VValdensicis, & Negativæ eorum, de qua cum alijs capitibus, tum potissimum in altera parte, cap. 2. & 3. Discrep. plures Notationes habentur.*

**C A V S A** prima. Quia si Pastores rectè sentiunt, & piè vivunt, sine causa faciunt schisma, seque separant ab ñs, cum quibus re ipsa unum sunt corpus mysticum, hoc est, ab

est, ab ijs, qui idem cum ipsis, de omnibus, aut  
præcipuis Christianæ doctrinæ capitibus senti-  
unt, & cum ipsis unius capitæ, Christi scilicet,  
sunt membra, qua conjunctione nulla sanctior,  
salubrior, firmior & inviolabilior excogitari  
potest. Et ita peccant in CHRISTVM, qui  
vult suos esse unum, sicuti ipse & Pater unum  
sunt, & membra corporis sui mystici, ita inter  
se consentire, sicuti corporis organici membra  
consentiunt. De qua re copiose Paulus 2. Cor.  
12. dixerit.

II. In dubium vocant doctrinam,  
quam pius Pastor publicè proponit, quasi sit  
impurior ipsorum, cum tamen aut eadem sit,  
aut interdum purior: & ita contumeliosi sunt,  
in veritatem divinam, quam quantum in ipsis  
est, mendacium faciunt, & auditoribus suspi-  
ctam reddunt.

III. Extenuant dona pñ Ministri, quasi  
non æquè benè docere possit, hominesq; ad  
DEVM adducere, atq; ipsi, & ita superbè se al-  
ijs præferunt, cum tamen sæpè ineptus puer,  
quicumq; prima Theologiæ <sup>elementa</sup> prægustavit, in  
privato angulo suo legat: In templo autem  
pius, doctus & exercitatus Minister, magno  
cum fructu mysteria S. Scripturæ explicet.

IV. Faciunt injuriam Spiritui sancto,  
quasi non operetur per Ministros, qui in ipso-  
rum ædibus non educantur, sed sit ad ipsorum  
Collegia & Seniores alligatus: qui tamen si-  
cuti in alijs regionibus, ita & in Bohæmia, &  
jam

sam in Fratribus non addictis Concionatorij  
bus est efficax.

V. Contemnunt Scholas, in quibus  
pñ Ministri sunt instituti, quasi nemo veritatem  
docere possit, quam ipsi: cum tamen suos pro-  
prios discipulos, discendi gratia, in alias cele-  
berrimas Scholas mittant, & postea ex scri-  
ptis illorum, qui à nostris sunt instituti, suos in-  
stituere cogantur. Illos enim omnes, qui Con-  
fessionem, Catechismum, Postillam priorem  
& posteriorem, quam impiè supprimunt, scri-  
pserunt, & Biblia sacra magna cum laude cor-  
rexerunt, doctos fuisse, & aliquando nostrarum  
Scholarum discipulos, notissimum est.

VI. Frangunt vinculum pacis & di-  
lectionis, & exacerbant vicinorum animos  
contra se mutuo, propterea quod se cum suis  
auditoribus, à reliquis separant, Ecclesiam, Mi-  
nistros, & doctrinam ipsorum contemnunt,  
& tacite damnant. Homo enim Christianus  
nihil minus ferre potest, quam boni ordinis  
turbationem, cursus verbi divini impeditio-  
nem, Legitimi Ministerij contemptum, & luæ  
piæ Religionis damnationem. Quæ omnia  
ab ijs fiunt, qui se ab alijs, de errore nec ad-  
monitis, multò minus convictis separant, &  
privatas Ecclesias erigunt, si non sit verbis, sic  
tamen re ipsa & facto, quod peius est.

VII. Exacerbant, in cœrore & tristitia  
sine causa afficiunt, pios Ministros, qui sciunt  
se esse legitimè vocatos, & ab illis, quibus  
DEVS

DEVS & Ecclesia, dedit jus & potestatem vocandi Ministros, ipsis oves illius Ecclesiae esse concreditas & commendatas, & se neminemque alium debere de sua villicatione rationem Deo & hominibus reddere. Et ideo intermittere non possunt, quin oves errantes, & ad aliud ovile accedentes quaerant, nisi qui auditores ipsorum turbant, se opponant, & in timore DEI, quid in ipsis desiderent, & cur ipsorum auditores a concionibus ipsorum abstrahant, inquirant, ut si fortassis errent, errorem agnoscant, & veritatem cum ipsis amplectantur, & impedimentum, propter quod non est unus Pastor, & unum ovile, auferant: Sin minus ipsos erroris convincant, & suas oves in suum proprium ovile reducant.

VIII. Faciunt contra Scripturam, quae praecipit ne deseramus, publicas nostras congregationes, ne Ecclesiae Concordia & unitas dilaceretur (de qua re multa scribit S. Cyprianus) & ita pii in varias Sectas dividantur, communis defensio doctrinae & piorum impediatur, & Diabolus singulos aggrediendo Ecclesiam eo facilius superet & extirpet. Concordia enim Ecclesia crescit, discordia dissipatur & extinguitur.

IX. Faciunt impios, qui vident unum Christianorum ab altero abhorrere, & quemlibet propriam doctrinam sectari, contemnere totam Christianam religionem. Putant enim doctrinam coelestem, aut, (quantum  
ad Post

ad Pontificios attinet) Euangeliū quod refo-  
mati docent, tam ambiguum & incertum esse,  
ut quilibet ex ipso fundamenta suæ opinionis  
accipere possit, & esse doctrinam non DEI, in  
qua cum sit unus Spiritus, repugnantia esse non  
potest, sed hominum commentum & somniū,  
nullamq̄ certam in se continere viam salutis.

X. Sacramenta, quæ sunt ritus publi-  
ci, & non privati, faciunt paucorum, contra  
reliquos rectè lentientes, conpirationem, con-  
jurationem.

XI. Necessè est, cum sæpè Fratres lon-  
gius absint ab ijs locis, in quibus paucos ha-  
bent consentientes, infantes infirmos sine Ba-  
ptismo decedere, aut à Pastoribus illorum loc-  
corum baptisari. Cum igitur Baptismum illi  
lum approbent, & pro legitimo habeant, ab  
usu autem Cœnæ, & prædicatione verbi adul-  
tos suos absterreant, sequitur ipsos minoris fa-  
cere Baptismum, quam Cœnam. Cum tamen  
Sacramenta sint paria. In ijs, in quibus publi-  
ci Ministri succurrunt ipsorū defectibus, ipsisq̄  
se excusandi occasionem præbent, ipsosq̄ pro  
legitimis habere Sacerdotibus. In reliquis ver-  
rò quæ majora sunt, pro seductoribus, lupis  
& Mercenarijs: Cum tamen illorum tantum  
sit baptizare, qui docent, & per Baptismum  
infans inseratur in illam Ecclesiam, cujus Pa-  
stor baptisans est Minister.

XII. Faciunt sine causa controversi-  
as, ratione Sepulturæ mortuorum, quos sæpè a/  
pè a/

pe amici per aliquot miliaria vehere coguntur.  
Nō enim sine causa, pius Magistratus, syncerus  
Ecclesiæ Minister, & devoti vicini, sepultura  
ram illis negant, qui in sua vita, nihil cum ipsis  
habuerunt commune, sed à p̄ij Magistratus,  
sancti Pastoris, & suorum concivium societate,  
sine causa se separaverunt, communem &  
p̄ium consensum spreverunt, & in omnibus fu-  
erunt singulares: Cum sepultura sit locus com-  
munis illorum, qui politicè & Ecclesiasticè in  
vita sua coluerunt unitatem, & non extraneo-  
rum.

XIII. Impediunt bonum ordinem,  
& turbant communem societatem, uti cum su-  
is concivibus, quæ ad Scholæ & Ecclesiæ con-  
servationem requiruntur, sine murmuratione,  
maledictis, exceptionibus &c. non præstent,  
& cupiant ijs in locis, ubi suas proprias aut  
privatas habent Scholas, publicas Scholas de-  
letas esse, Quæ res multas controversias, &  
magna odia excitant.

XIV. Coniiciunt suos Auditores in  
periculum bonorum & famæ. Sæpè enim pi-  
us Magistratus, studiosus pietatis & Concor-  
diæ, ne publicum contemnatur Ministerium,  
& pauci communem turbent tranquillitatem,  
aut alijs sint offendiculo, aut occasio peiorum  
hæreticorum, conventiculorum, Fratribus ad-  
dictos expellere cogitur, qui non sine ingenti  
damno sua vendunt, & alio migrant.

XV. Latet

XV. Lædunt conscientias suorum;  
Cum enim Magistratus, ut modo dictum est,  
clandestina conventicula interdicit, & illos  
qui cum reliquis ad Cœnam accedere reculant,  
sua bona vendere cogit: qui vendunt & illa,  
ac dulcem relinquunt patriam, parentes, ami-  
cos &c cum rei familiaris maximo damno,  
quod sine dolore & odio, acq̃ execratione ill-  
lorum, qui ipsos expellunt, fieri non potest.  
Quantopere autem illos execrentur, & odio  
prosequantur, qui cum ipsis consentiunt, ma-  
gnoq̃ cum dolore, propter graves causas, con-  
tumaces eijciunt, videant Fratres. Et fit ple-  
runq̃ ut tales, tantis periculis subiecti, cum ap-  
ud Fratres non inveniunt, quæ speraverant,  
postea agnoscant, se non habuisse sufficientes  
causas desertionis patriæ, amicorum suorum,  
fundorum &c. & postea in corde suo Fratri-  
bus, à quibus ad hæc impulsii sunt, maledi-  
cant, aut accedunt cum reliquis, ad Concio-  
nes & Sacramenta, & abstinent à congressi-  
bus suorum Fratrum, quos pro optimis &  
sincerissimis habuerunt Christianis, & con-  
jungunt se cum ipsis, quos habuerunt pro hæ-  
reticis, quod sine vulnere conscientiaë minime  
fieri potest, sed ipsos die nocteq̃ exagitat. Et  
tum mox à suis prioribus Fratribus etiam Col-  
loquio ipsorum indigni habentur, tanquam  
Desertores, veritatis proditores, bonorum  
corporalium & injusti Mammonis servi, qui  
fidem & bonam conscientiam abjecerint.  
Qua



Qua re vulnus conscientiae duplicatur. Reli-  
qui ad suos accedunt, priorem ipsorum Cons-  
fessionem errorum accusant, multa inordina-  
ta à Fratibus, clam fieri mentiuntur, atq; li-  
cet falsa esse sciant, magno cum cruciatu tacere,  
& ita vulnus triplicare coguntur.

XVI. Coniiciunt in periculum, se &  
suam doctrinam. Si enim pius Pastor, cum  
pio Magistratu officium facerent, & in concio-  
nem ipsorum privatam venirent, causasque  
clandestinorum congressuum, & contemp-  
tus publici Ministerii, cuiq; irumperent in alienam  
vocationem quærerent, & Pastor ipsos de  
præcipuis Articulis examinaret, essent nonnul-  
li pisce magis muti, in primis pueri, quos ple-  
runq; non in pagos tantum, sed etiam Civita-  
tes, ubi interdum satis laudabiles & docti sunt  
Sacerdotes, mittunt, licet sapè VIX CA-  
TECHIS MVM defendere possint. Quo-  
modo ordinarius Pastor, hæc exaggerare possit,  
suæ doctrinæ firmitatem, Fratrum falsita-  
tem, licet purior esset, amplificare, & ita suos  
in sua sententia corroborare, Fratibus verò  
scrupulum inijcere, & ita doctrinam etiam ve-  
ram, in contemptum & odium ducere, & om-  
ninò animos contra Fratres exacerbare, qui  
non videt, Talpa magis cæcus est.

XVII. Violant Regulam CHRISTI,  
& juris naturalis, alijs faciendo, quod sibi fieri  
nolunt. Minimè enim ferre possent, ut ali-  
quis, dum concionantur, in alio Conclavi

Aa

suos

suos institueret, & oves eorum ab ipsis divideret.

**XVIII.** Præbent Hæreticis occasi-  
nem, instituendi similes privatos congressus, &  
seducendi mileros Idiotas, malè institutos.  
Ideò modò in Bohœmia, in uno pago aut op-  
pidulo, una hora, in quatuor vel quinque locis,  
contrariarum opinionum, seu Sectarum fiunt  
Conciones, quod **VIX IN VILLO RE-  
GNO** Christiano fieri credo.

**XIX,** Magistratus atheos & Epicu-  
ræos cohercere, & ad audiendum DEI veri-  
bum compellere non potest, cum semper ob-  
ijciant Fratres, quod quoque templum non in-  
grediantur &c.

**XX.** Sunt causa **DAMNATIONIS**  
multorum. Ut enim Generosos & Nobiles in sua  
potestate retineant, concedunt ipsis, ut bona  
Ecclesiastica ad se rapiant, & sceleratis, impijs  
& indoctis Sacerdotibus, suas Parochias com-  
mittant, qui sua Opificia ex ignavia deserent  
tes, & contra omnem pietatem in functionem  
Ecclesiasticam involantes, exigua parte bono-  
rum, DEO & Ministerio consecratorum, con-  
sentiunt, modo turpissimo ocio frui, & rever-  
endi Domini appellari possint. Eiusmodi  
Ecclesiæ devastatores, tandem falsa doctrina  
& malis exemplis, sibi commissum populum,  
miserè in æternam damnationem præcipitant,  
cuius damnationis & Fratres & Collatores se  
participes reddunt. Magistratus enim non

tantum

tantum in suis privatis ædibus, purum DEI cultum promoveri debet, sed tanquam publica persona, præcipuè in publico templo, ut suo exemplo etiam, subditos sibi à DEO concreditos lucrifacere possit. Est enim utriusq; Tabulæ custos, & ideo Ius collocandi Pastores in Parochias accepit, ut DEO rationem reddat, qualem personam sibi concreditis CHRISTI membri præfecerit. De his alio in loco plura scripta sunt.

**XXI.** Multi offenduntur, quod Fratres Templum publicum ingredi recusant, & in privatis concionibus, contra doctrinam & personas Sacerdotum, acerrimè pugnant, & tamen postea cum simul cum ipsis, ad mensam Magnificorum accumbunt, tam familiariter, placidè & amicè cum ipsis conferant & bibant. Nullus enim bona conscientia, suæ Ecclesiæ vastatorem, sui Ministerij contemptorem, & suarum ovium seductorem, nisi proditor sceleratus, pro Fratre & amico agnoscere potest. Ideò S. Iohannes mandat, ut talem ne salutemus quidem. Et sancti Patres cum eiusmodi Sacerdotibus, ne loqui quidem, aut ulla commercia habere voluerunt, ne offenderent infirmos auditores, aut viderentur parvi ipsorum errores facere.

**XXII.** Propter eiusmodi divortia & odia, quæ sunt inter Fratres & Evangelicos puriores, aliquando Pontificij facilimè inveniunt occasionem opprimendi unam & alteram

A a a                      partem.

partem. Si enim Evangelici, qui publicè docent, concedent, ut supprimantur Fratres, propter privata conventicula, & contemptum publici Ministerij: tandem eò facilius Pontificij & ipsos efficiant, cum idem de controversis Articulis, sentiant & doceant, & in nonnullis longius ab ipsis discedant quàm Fratres. Optimum igitur & tutissimum esset, ut puriores Ecclesiarum Ministri, qui propius ad Fratrum accedunt Confessionem, & Fratres qui cum illis consentiunt, paucis exceptis, seposita omni similitate, se conjungerent, simul ædificarent & colligerent, & se potius juvarent, quam impedirent, sicuti hactenus ex utraq; parte, proh dolor, factum est. Si hoc fieret, daret **DEVS** vobis feliciorum successum, contra hostes veritatis: Ecclesia corroboraretur & uniretur, quæ modo divellitur, & in varias Sectas dividitur: Pij Ministri alacrius officium facerent: Auditores plus Ministerio tribuerent, & ubiq; dilectio, pax, concordia &c. Præcipua Ecclesiæ bona regerminarent, omniaq; nobis bona animæ & corporis auferent,  
&c.

os(?)90



Objection

Obiectionum solutio, quæ ab eodem Doctore addita est, sicut & Responsio, ab ipso sequenti Anno 1594. Mense Augusto scripta, ad Rationes, Cur Fratres Bohæmici, præmissis causis locum relinquere, & cum Ministris Evangelicis, inter Bohæmos & Moravos, amicitiam colere noluerint, suo loco cognosci poterit.

*VVIC LEVITISMVS ET SACRAMENTARIÏSMVS Fratrum VValdensium, quem olim in Responsione sua Bohæmica ad D. Lutherum, Et recens ad Examinationem doctrinæ ipsorum, haud obscure prodiderunt, ut in priore Libro D. Hederici, parte prima, & in hoc altero, potissimum cap. VIII. multis Notationibus ostenditur. Ex Scripto, quod Titulo Confessionis Fratrum VValdensium, ad Vladislaum Regem Vngariæ, Anno Christi 1506. missum est.*

**P**ari etiam credulitate de Ecclesia Catholica, & de Sacramentis eius, præcipue de Sacramento corporis, & sanguinis CHRISTI integrè credimus. Quando enim Præbyter ritè ordinatus, verba testimonij CHRISTI expresserit, continuè panis & corpus CHRISTI, verum naturale,

Aa 3 rale,

rale, ex castissima virgine sumptum, quod ee-  
rat traditurus; quemadmodum vivus Panis  
testatur: Hoc est, inquit corpus meum, quod  
pro vobis tradetur. Similiter vinum, sanguis  
est naturalis corporis eius, qui fundendus erat  
in remissionem peccatorum pro multis. Et  
non solum credimus fatemurq; Panem esse  
corpus naturale, & vinum sanguinem natura-  
lem Sacramentaliter: Verum etiam panem pa-  
riter esse corpus Spiritale, & vinum sanguinem  
Spiritalem asseveramus. Simulq; ad id cre-  
dendum suffragatur nobis, Pauli Apostoli sen-  
rentia: Panis (inquit) quem frangimus,  
nonne participatio est corporis CHRISTI:  
& Calix cui benedicimus, nonne communi-  
catio est sanguinis CHRISTI: quoniam  
unus panis, & unum corpus multi sumus, qui  
de uno pane, & de uno calice participamus.

*EX FRATRUM VALDENSIVM  
Excusatione, contra binas literas, Doctoris  
Augustini, ad Regem Ungariæ de ipso-  
rum Confessione datas.*

**C**Ognoscat hoc quilibet, puta eius  
scripturam, & rationem fidei nostræ, sicut  
& prius super eius literas scripsimus, quemad-  
modum credimus, quia panis est Corpus IESU  
CHRISTI Naturale & Spiritale be-  
nedictum. Sed ipse scribit, quod sub ea sub-  
stantia panis & vini, verum corpus, & verus  
sanguis sublit, & per hoc fidem nostram funda-  
datam

datam, super verba **CHRISTI** mutavit,  
sicut ipsum convicimus in primis literis.

Ibidem. De corpore & sanguine **CHRISTI**  
sic credimus, quod post verbum, per Sa-  
cerdotem recte consecratum, statim panis  
est corpus **CHRISTI**, verum naturale,  
sumptum ex Maria virgine, quod debuit tra-  
di, sicut dicit: Hoc est corpus meum, quod  
pro vobis tradetur, & vinum sanguis, eius na-  
turalis corporis, qui debuit effundi in remis-  
sionem peccatorum. Et non solum credimus  
& fatemur, quod panis est naturalis caro, &  
vinum naturalis sanguis benedictus, sed quod  
panis simul etiam est caro Spiritalis, & vinum  
sanguis Spiritalis, quod est unitas Ecclesiae. Sic  
dicit sanctus Paulus: Et panis quem frangis  
mus, nonne participatio corporis Domini est.

Ibidem. Dicimus adhuc, & simpliciter  
confitemur, quod nobis est nisi unus **DEVS**,  
unus Dominus, **IESVS CHRISTVS**, &  
quod est in Sacramento, cum suo naturali cor-  
pore talis, sed per aliam existentiam, quam in  
dextris **DEI**: & adhuc dicimus, quod est  
etiam cum carne Spiritali: quia est aliud di-  
cere. Ille **CHRISTVS**, Hoc corpus: &  
est aliud dicere, cum huiusmodi existentia.  
Primum concedimus, quia ille **CHRISTVS**  
est cum hoc corpore: sed aliud non conce-  
dimus, secundum fidei scripturam resistimus,  
hoc est, Quod Dominus noster **IESVS**  
**CHRISTVS** post suam ascensionem, cum natura

ali substantia corporis sui personaliter existeret. Sed dicimus quod non fuit, nec est, nec erit, donec ad extremum iudicium: quia cum illa substantia sui corporis, nisi unum locum habet, sicut hic habuit adhuc viator, non potest multiplicari, nec corporaliter levari. Et hoc quod ostendatur vera Scriptura Christianæ fidei, primum ponetur, quod DEVS manifestavit personalem ascensionem substantiæ naturalis corporis, quando ad discipulos suos est locutus: Pauperes enim semper habetis vobiscum, Me autem non semper habetis. Et, Vado ad eum qui misit me. Et causam adiungit dicens: Vado parare vobis locum: si enim non abiero, Paracletus non venit ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Et quis est ille Paracletus, qui debuit cum illis perpetuo manere: & quod venit, testificatus est verum abscissum, de quo dicit: Exivi à Patre & veni in mundum. Iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. Iterum personaliter abiit cum substantia assumpti corporis. Dicit enim in Oratione ad Patrem: Iam non sum in mundo, & hi in mundo sunt, & ego ad te venio. Et iterum: Filioli adhuc modicum vobiscum sum. Et iterum per similitudinem: Nunquid possunt filij Sponsi lugere, quam diu cum illis est Sponsus? Venient autem dies cum auferetur ab eis Sponsus, & tunc ieiunabunt. Iterum: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, DEVM meum & DEVM vestrum.



vestrum. Et Angeli dixerunt: Hic IESVS  
qui assumptus est a vobis in caelum, sic veniet  
quemadmodum vidistis eum euntem in coe-  
lum. Et haec est Prophetia illa Psalmi: Dixit  
Dominus Domino meo, sede a dextris meis,  
Donec ponam inimicos tuos scabellum pe-  
dum tuorum. Et sanctus Petrus dicit: Quem  
oportet quidem caelum suscipere, usque in tem-  
pora restitutionis omnium, quae locutus est  
DEVS per os sanctorum suorum a seculo  
Prophetarum: quem & sanctus Stephanus  
vidit stantem a dextris DEI. Et sanctus Pau-  
lus vidit eum in tertio caelo, & is dixit: Et si  
cognovimus secundum carnem CHRIS-  
TUM, sed nunc iam non novimus. Et mul-  
tae aliae similitudines Salvatoris ad hoc sunt, in  
quibus manifestat suum ascensum, & descen-  
sum non ante fieri, quam ad extremum iudici-  
um, & praecipit omnibus, ut vigilantes expec-  
tent: & praecipue dans eis potestatem super  
labores, cum qua potestate, iustitia & auxilio  
promisit se esse cum suis fidelibus, usque ad con-  
summationem seculi, & cum suis membris fi-  
delibus. Vbi duo vel tres congregati fuerint  
in nomine eius, promisit se inter eos esse Spiri-  
tally, cum participatione corporis & sangui-  
nis, & in Sacramento in virtute, cum testimo-  
nio suae iustitiae. Ad hoc sonat vox veteris &  
magni Doctoris Augustini, ubi dicit: Donec  
seculum finiatur, sursum est Dominus: sed ta-  
men etiam hic nobiscum est veritas Dominus.

Corpus enim in quo resurrexit, in uno loco esse oportet: veritas autem eius ubique diffusa est. Sicque ex sacris literis, & alijs multis certum est, quod Dominus CHRISTVS cum suo corpore & sanguine, in naturali substantia personaliter existenter non est hic, donec ad consummationem seculi, & quod est in VNO LOCO, hoc est, A DEXTRIS DEI. Hoc voluit antea hic in suo mortali corpore manifeste ostendit, quod uno in loco existens non fuit in alio eodem tempore, sicut eius sermo illud ostendit: quoniam locutus est ad discipulos suos dicens: Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi, sed eamus ad eum. Et Martha dicit: Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Sic post resurrectionem glorificato corpore, uno eodemque tempore, non fuit multis locis, sed uno, & alijs temporibus fuit alijs & alijs locis. Sicut quando fuit in Hierusalem, non fuit tunc in Galilæa: & quando fuit in Galilæa resurgens ex mortuis, non fuit in sepulchro. Quod neque Angeli sunt mentiti, dicentes: Surrexit, non est hic. Sicque eum suo substantiali assumpto corpore, quo cum sedet nunc ad dexteram DEI, non potest multiplicari, sed solum unus totus verus existenter manet in celo: & non potest Corporaliter sumi à fidelibus animabus, sed solum Spiritu- aliter, quia dixit: Si ergo videritis filium hominis ascendentem, ubi erat prius. Spiritus est  
qui

qui vivificat, Caro non prodest quicquam:  
verba quæ ego locutus sum vobis, Spiritus &  
vita sunt. Ideò credimus, & ex fide sentimus,  
quamvis CHRISTVS non est hic, cum Cor-  
pore naturali, mansione existenter & corpora-  
raliter; est tamen Spiritualiter, potenter, be-  
nedictè, in veritate: quod cum hac mansione  
non abiit, & non abibit à suis, sed ubiq; ubi  
vult esse, & infinitis locis, huius corporis &  
sanguinis veritas argumentatur, & potest mul-  
tiplicari, ad omnem necessitatem suorum fide-  
lium & electorum, ut in hoc dicit Dominus:  
Ego vobiscum sum usq; ad consummationem  
seculi. Et, Vbi duo vel tres congregati in no-  
mine meo, ibi sum in medio eorum. Et san-  
ctus Paulus: CHRISTVM habitare per fi-  
dem in cordibus vestris. Item, An experimen-  
tum quæritis eius, qui in me loquitur. CHR-  
ISTVS. Ideò ex fide sic sumimus: & sic illius  
Doctoris scriptis respondemus sicut antea,  
Quod CHRISTVS cum corpore suo &  
sanguine in mansione benedictionis est, sicut  
in dextera DEI, sed non simili mansione ut  
in coelis: ideò non debemus eum venerari in  
benedictione Sacramenti, quæ fit & fieri de-  
bet in essentia personali, existenti in dextera  
DEI.

Et ut melius adhuc intelligatur, quod non  
assimulamus neq; pro uno ponimus, eius ex-  
emplum habemus, in Iohanne Baptista, de  
quo Dominus dixit: Et si vultis recipere, ipse  
est

est Helias, qui venturus est. Et ipse sanctus  
Iohannes est confessus Sacerdotibus & Levi-  
tis, quod non est ipse Helias: & sic hi sermones  
non conveniunt sibi, sicut illi Augustino Con-  
fessio fidei nostræ: tamen sermones sunt veri,  
in sano sensu intellecti, quod Iohannes perso-  
naliter in substantia non fuit Helias: sed in ipso  
esse spiritali, quem Dominus mutavit, & sic  
Iohannes non contradixit. Quod etiam An-  
gelus confirmat, qui manifestat eius concepti-  
onem Zachariæ dicens: Et ipse præcedet an-  
te illum in Spiritu & virtute Helix. Et iam  
accipimus illius exemplum ex sermone sancti  
Pauli, ubi scribit: Patres nostri omnes sub nu-  
be fuerunt, & omnes mare transierunt, & om-  
nes in Moysæ baptisati sunt in nube, & in  
mari: & omnes eandem escam spiritalem man-  
ducaverunt, & eundem potum spiritalem bi-  
berunt: tamen nullus concedit, quod hi Pa-  
tres manducaverunt, corpus & sanguinem  
**CHRISTI** corporaliter, sive quod in na-  
turali substantia substantialiter essent usi, quia  
nondum fuit incarnatus, neque dedit corpus su-  
um in manus peccatorum ad mortem, ad præ-  
parationem escæ, neque sanguinem ad biben-  
dum, neque adhuc instituit Sacramentum cor-  
poris & sanguinis. Et sanctus Paulus ad He-  
bræos: Umbram enim habens lex futurorum  
bonorum, non ipsam imaginem rerum, per  
singulos annos, eisdem ipsis hostijs, quas of-  
ferunt indefinenter, nunquam potest acceden-

tes

res perfectos facere: quia lex per Moysen data  
est, gratia & veritas per IESVM CHRIS-  
TVM facta est. Amplius dicit: Bibebant  
autem de spiritali, consequente eos petra, Pe-  
tra autem erat CHRISTVS: Certè non  
corporali, sed spiritali figura, qui futurus erat,  
cum quo se communicat in Sacramento novi  
Testamenti, habent iustitiam perseverantem,  
& meritum & usum in CHRISTO & Eccle-  
sia. Et huiusmodi exempla possent plura in-  
duci ad hoc ex sacra Scriptura, si non indige-  
ret multa disputatione, & tedium faceret le-  
genti. Sic docemus, ut breviter dicamus, quod  
non timemus (DEI auxilio) pedicas, quas  
nobis ille prudens venator posuit, sicut an-  
te oculos avium, quod duos CHRISTOS  
nos oporteat confiteri. Sed omninò ipse cum  
alijs, qui sic sentiunt (ut ipse confitetur) eas  
discipulas debent timere, Esse scilicet CHRIS-  
TVM in terris personaliter, sicut in dextera  
Patris, sed & quod hi CHRISTVM dividunt,  
& contra præceptum hinc monstrant. Quare  
ipsi abducunt fideles, à sensu spiritalis ipsius &  
Sacramentalis existentiae & sumptionis. Ab-  
que illo præcipuo spiritali CHRISTO,  
nemo potest salvus fi-

eri.

EX AR.

**EX ARTICVLIS SIVE PROPO-  
sitionibus Iohannis Wiclevi Angli, de  
Cæna Domini.**

**S**icut Iohannes fuit figurative He-  
lias, & non personaliter: Sic panis est fi-  
guraliter corpus CHRISTI, & non na-  
turaliter corpus CHRISTI. Et quod absq̄ o-  
mni ambiguitate, est figurativa locutio: Hoc  
est corpus meum, sicut illa in verbis CHRIS-  
TI, Iohannes ipse est Helias.

Item, Corpus CHRISTI non est subs-  
stantialiter in Sacramento Altaris, attendendo  
ad corpus CHRISTI, secundum naturam su-  
am: sed ibi est substantialiter, corporaliter &  
dimensionaliter, ad modum hostiæ, secundum  
naturam suam.

Item, Sacramentum altaris est naturaliter  
ter panis & vinum: Sacramentaliter corpus  
CHRISTI.

Item, Sicut CHRISTVS est simul  
DEVS & homo, sic hostia consecrata, est si-  
mul corpus CHRISTI, & verus panis: quia  
est corpus Domini in figura, & verus panis in  
natura: Vel, quod idem sonat, est verus panis  
naturaliter, & corpus CHRISTI figu-  
raliter.

Item, Præmissa prædicatione materiali  
& formali, oportet Catholicum prædicationes  
habitudinales concedere in Scripturis, ut,  
Septem boves, septem anni sunt, Et ad Cor-  
inth.

rinch. Petra autem erat **CHRISTVS**. Et  
Matth. 11. Si vultis scire, Iohannes Baptista  
ipse est Helias. Sic dicitur Catholicè, quod pan  
nis Sacramentalis est corpus Domini,  
& vinum in calice sanguis  
eius &c.

## APPENDIX.

**C**Vm Respondentes VValdensici  
in suo libello pag. 150. ut & supra capite  
8. Notat. 2. de Appendice Notat. 2. & alias,  
ostensum est, provocent ad Responſionem  
maiorum suorum, superioribus temporibus ad  
Lutherum scripta, & in illa iisdem locutionis  
bus usi sint, quibus VViclephus usus est, &  
quæ in præmissa Confessione, ad Vngariæ  
Regem, exprimuntur, colligi potest, qua fide  
coram supremæ & infimæ sortis hominibus,  
itemq; doctis & indoctis professi sint, Se cre  
dere, Panem Cœnæ Domini esse corpus  
**CHRISTI**; Vinum illud, sanguinem **CHRIS  
TI** esse. Nam cum has Testamenti Domini  
ei propositiones, comparare ausint cum illa,  
Iohannes est Helias, & eadem figuratè per  
Metaphoram exponatur, quod similis sit He  
liæ, consequitur hæud aliter Fratres Bohæmi  
cos quoq; illas accipere, quàm figuratè, vel  
per Metaphoram, considerata similitudine, vel  
per Metonymiam, qua pane S. Cœnæ signifi  
cetur, adumbretur & repræsentetur corpus  
**CHRIS**

CHRISTI, quod ipsis non præsens est ibi-  
dem, sed absens in cœlo, siquidem disertè exi-  
stentiam siue præsentiam corporalem, realem,  
substantialem, personalem ex ea reñciunt.  
Quo sensu figurativo etiam, appellationem Sa-  
cramentalis prædicationis, Unionis & Mans-  
dicationis ipsos usurpare planum est. Quod  
si circa initia, certaminis Sacramentarij, ali-  
quando professi sunt, se D. Lutheri doctrinam  
de Cœna Domini, ut consentaneam verbo  
DEI probare, & à Cinglianis dissentire: tamè  
cum in Bohœmica Responstone, paulò post eis-  
dem opposita, per locutiones VViclephi id  
everterint, & nunc novitj Fratrum Sectato-  
res, se Calvinianis palam in re Sacramentaria  
coniunxerint, non amplius quid monstri alue-  
rint est obscurum. Ac mirum est, quod pro-  
vocando ad maiores suos, adeò leviter S.  
Martyris Iohannis Husi obliviscantur. Nam  
licet hic in reliquis non paucis Articulis VVi-  
clepho subscriplerit, & eum defenderit, præsert-  
tim cum Transsubstantiationē & mutilatio-  
nem alterius speciei refutasset ille, & graviter  
impugnasset: tamen nequaquam quæ de figur-  
rata interpretatione verborum S. Cœnæ, &  
de sola Spirituali præsentia corporis CHR-  
ISTI, repudiata essentiali, reali, corporali, per-  
sonali, ipse statuerat, amplecti voluit. Quare  
quod præter alia cantio eius de S. Cœna re-  
statur, iam tum acquievit in iisdem, haudqua-  
quam fallentibus argumentis, quibus nos ho-  
die



die firmiter nitimur, & quæ ex ipsissimis Coenæ  
Dominicæ verbis petita sunt, ut:

I. Corpus quod pro nobis est traditum, est  
verum & essenziale corpus CHRISTI: Sed  
in usu Eucharistiæ manducamus corpus, quod  
pro nobis traditum est: Ergò manducamus ve-  
rum & essenziale corpus CHRISTI.

II. Sanguis quo stabilitur novum Testa-  
mentum, tantum is est, qui ex vulneribus  
CHRISTI profluxit, & pro peccatis nostris  
effusus est: Sed CHRISTVS testatur, nos  
poculo benedictionis participes fieri sanguinis  
novi Testamenti: Ergò poculo benedictio-  
nis reddimur participes veri & es-  
sentialis sanguinis CHRIS-  
TI &c.



Bb

ANAN



ANAGRAMMATISMVS  
CONTRA CALVM-  
NIOSAM NOMINIS HE-  
DERICI INTERPRETATIONEM  
Responsioni Fratrum Bohæmico-  
rum pag. 137. in-  
sertam.

IOHANNES HEDERICVS DOCTOR.  
CONSENSIO VT HEDERA CORDI.

---

*C*ui Laurus nõ est, cui non Hedera uvida cordi?  
Quarum est æthereis utraq; sacra Deis?  
Tempora cinxi hederis iuuenilia, nec mihi laurum  
Ipse parens vatum Phæbus, Apollo negat.  
Nunc obeo munus celeste, & sacra professus  
Salvificam doceo voce stylog; fidem.  
Vatibus VT q; HEDERA est, mihi sic CONSENSIO  
CORDI

Hac ego iam CHRISTO curo placere meo.

M. Henricus Meibomius Poeta  
Cæsarius, in Iulia Academia  
Professor, publicus Anno  
1595. F.

DE

DE EODEM AD DN. PA  
RENTM SVVM,  
FILIVS.

**I**lla pijs merito Consensio grata putetur,  
Quae constat verbo non pereunte DEI.  
Illicito quovis & schismate quando remoto,  
inter Christicolae personat una fides.  
Dogmata sic eadem constanti corde foventes  
Nos sibi conjunctos Christus & ipse fovet.  
Sed violata sacri fuerit si Regula Verbi,  
Si scindunt sanctum schismata foeda greges  
Iactatur falso concors sententia, frustra  
Et pingit variis dogmata falsa color.  
Iactatur falso gravior Censura probandi  
Mores externos, quam celebrare solent,  
Dum spernens alios fastus dominatur, adhærens  
Cordibus, & fervet multa libido mali.  
Sic solidæ si quæ fidei fundamenta desunt,  
Partibus in reliquis certa ruina subest.  
Sic varijs scissum tandem rationibus agmen  
Christi non una tendit ad astra via  
Mentes perplexis erroribus inde trahuntur,  
Quos clades possunt non nisi mille sequi.  
Hinc reverende Parens cordi consensio vera  
Cum tibi sit, cupias & prociat esse dolum.  
Id te non moveat quicquam, quod livida lingua  
Te rixas falso dicat amare leves.

Bb 2

Talia

Talia nam quævis mens recti conscia ridet,  
Quæ studio veri candida facta probat.  
Quæ penitus Christi dicentis pendet ab ore,  
Et timet in dubium verba vocare DEI.  
Non tentat cæcus divellere fraude piorum,  
Haudq; volet placitis deditus esse suis.  
Nec sequitur forma pietatis sæpe tumentes,  
Illius in precio V I M sed habere solet.  
Singula quæ memini te quæsisse parentem,  
Hæc rixas poterit nemo vocare bonus.  
Opponunt sed qui se talibus, esse putato  
Rixosos, culpa nec caruisse gravi.  
Hæc si serventur nam rite per omnia, Fratres  
Nosq; inter rixis non fore credo locum.

### AD EUNDEM.

I Nter consortes fuerit pax unica cura  
Quod tua, vel testis IVLIA sola manet.  
Usq; sed hoc durat studium quia pacis ad aras,  
Discors Relligio dissona corda facit.  
Nam dum vera manet fidei Confessio, vera  
Pax manet, hanc pacem diligit ipse DEUS.  
Hinc me GOTFRIDI voluisti nomen habere,  
Hæc te pax & me tempus in omne tegat.

Gottfridus Heidenrichius.

BREVIS

BREVIS ET HISTO-  
RICA COMMÉMORATIO VI-  
tæ, ac obitus Generosi & Strenui Equi-  
tis Bohæmi, Dn. Iohannis Spanoffs-  
kij, Theologorum & liberalium artium  
patroni singularis, in gratiã antiquiss.  
& generosæ, nobilissimorum Spa-  
nofskyorum familiæ, Elegiaco  
carmine comprehensa

Per

FRIDERICUM DEDEKIN-  
DUM Neostadianum Saxonem, Iuris-  
orum tunc temporis Spanofskyorum  
Præceptorem Aulicum, & postea  
Scholæ in inclyta Lunebur-  
ga Rectorem.

**N**ulla licet possint complecti carmina dotes,  
Virtutumve satis concelebrare decus.  
Iam quibus antiqua Vir nobilitate SPANOFSKY  
Clarus erat placidæ mortis ad usq; diem.  
Grata tamen pietas, Musæ, Charitesq; Themisq;  
Unanimes iunctis viribus illud agunt:  
Invida Lethæis ne oblivio supprimat undis  
Nomina præclari commemoranda Viri.

Bb 3

Splendida

**Splendida neve tegat generosi pectoris acta,**  
Laws quibus & constans est tribuendus honos,  
**Hæc animis etenim calcar juvenilibus addunt**  
Ut studeant similes talibus esse viris.  
**Emulaque impellunt natorum corda, paternum**  
Virtutum titulis condecorare genus.  
**Ergo viri vitam cursim volitando per omnem**  
Pauca modo numeris implicuere iuis.  
**Plura dolor luctusque vetant quos funus acerbum**  
Attulit egregij conspicuique Senis.  
**Illaque me calamo iussere notare volanti**  
Suscepi injunctum munus id ergo lubens.  
**Hæcque tibi, Lector rerum studiose bonarum,**  
Offero in hac tabula conspicienda brevi.  
**Perlege perlectisque DEO, pro munere tanto,**  
Redde pio grates gratus & ipse pius.  
**Hisque precare locis similem qui subdita mitis**  
Corda pari posthac dexteritate regat.  
**Anno Igitur Caroli bellax quo exercitus Urbis**  
Aversæ expugnat Mœnia Victor Olivans:  
**Vitales astris subit felicibus auras**  
Hic Heros de quo carmina nostra fluant.  
**Utque fuit proprijs Virtutibus ipse coruscus,**  
Sic patris & matris nomine clarus erat.  
**Nam satus antiquæ est celebri de germine gentis**  
Nobile de utrovis stemma parente trabens.  
**De quorum virtute nihil mea carmina prodent,**  
Cum vebeat illorum fama perenne decus.  
Patris

**P**atris **V**dalrici quis enim præconia nescit?  
Quæ peperit virtus ingenijq; vigor.  
**Q**uis nescit, quod fæminei fuit inclyta sexus  
Gloria, quæ genitrix illius alma fuit?  
**M**AGDALIS EIZINGA fuit hæc de gente Baronũ.  
Austria quos claros fortis honore videt.  
**F**ortibus atq; bonis igitur fortisq; bonusq;  
Est genitus, generis fama futura sui.  
**Q**ui cum jam primos infans exegerat annos,  
Iamq; novos tenero fingeret ore sonos:  
**C**um patria cepit Germanam addiscere linguam,  
Insper & Latij verba venusta soni.  
**S**ubq; pio excepit pietatis semina patre,  
Quæ genitrix fida fovit & auxit ope.  
**H**æc quia divini studiosè scripta **L**VTHERI  
Amplectens didicit dicere: **P**A**P**A **V**ALE,  
**E**t tantam impendit curam juvenilibus annis  
Natorum, rigidis legibus hosce regens:  
**M**oribus ut placidis ferrent meliora docentum  
Imperium, memores tale placere **D**E**O**.  
**H**inc veræ virtutis amor generosa subivit  
Pectora, vel solus nobilitare valens.  
**H**inc etiam primis **I**OHANNES noster ab annis  
Assuevit studijs se decorare bonis.  
**E**t modo cum vires paterentur corporis, & cum  
Iam sibi constaret mens animiq; vigor:  
**I**mpetrat ex patrijs dimitti in publica tectis  
Munia, ne obstaret laudibus ipse suis.

**Deses enim latitare domi testudinis instar**  
**Non potuit magni Vis generosa animi**  
**Ergo tuam exceptus, Rex Ferdinande sub aulam,**  
**Sedulus officio praefuit ille suo.**  
**Inter & antiqua, se nobilitate decoros**  
**Non est postremum passus habere locum.**  
**Sed Domino sua facta suo studiumq; probavit,**  
**Regis & hinc erat huic gratia larga comes.**  
**Cumq; alys perspecta fides foret illius; Ecce**  
**Additus est lateri, Maxmiliane, tuo,**  
**Fædifragos contra Gallos in praelia dextram**  
**Cum sociam, Carolo belligerante, dares.**  
**Quos ubi pacatis sedassent motibus arma**  
**Redditus est prisco, Rege volente, loco.**  
**Huncq; sibi solita tutans virtute, per annos**  
**Regis adhuc aliquot sponte minister erat.**  
**Donec, ab hoc tandem relevatus munere, Martis**  
**Castra sequebatur sanguinolenta trucidis.**  
**Dum contra Imperij summum nova bella Monarcham**  
**Saxoniae Princeps Landgraviusq; gerunt,**  
**Post, ubi militiae longo usu nosceret artes,**  
**Armatus varijs adfuit ille locis.**  
**Cum vel ad Imperij fines tulit arma tuendos,**  
**Vel sedanda lues seditionis erat.**  
**Sic RHABAM oppositam Geticis incursibus arcem**  
**Defendens Valida iuvit & ille manu.**  
**Sic HVNNOS contra te, FERDINANDE, rebelles**  
**Cum varijs adiit gentibus asper eques.**  
Quos



Quos dum vi domuit Rex, & parere coëgit  
 Sustinuere omnes magna pericula Viri.  
 Namq̄ arces variæ nec propugnacula pauca,  
 Arteq̄, viq̄, loci fortia, bella dabant.  
 Hæc igitur miti superari Marte nequibant,  
 Nec sine res potuit sanguine tanta geri  
 Nil tamen illa minus, magna virtute suorum,  
 Rex domuit, victos sub sua sceptrâ trahens.  
 Tûc etiam I A N I virtus generosa SPANŒFSKY  
 Emicuit, generis nobile Stemma probans.  
 Intrepidus, proprio quia septus robore, cunctis  
 Impetibus valido restitit ille pede.  
 Infigensq̄ alijs plagas sua membra reduxit  
 Hostibus evictis, inviolata domum.  
 Forte sub hoc tempus, Regis discessit ab aula  
 De R O S E O Dominus nomina M O N T E  
 gerens  
 Vt bona, quæ, functis majoribus, obtulerat fors,  
 Dispensanda sibi sumeret ipse sua.  
 Qui sibi iunxit eum secum in sua tecta reductum,  
 In quibus ille diu vixerat ante puer.  
 Illius & multis opera feliciter annis  
 Vsus, eum ob summam fovit amore fidem.  
 Tandem fata diem adducunt, qua fædere Coniunx  
 Legitimo fieret Conjugis ille suæ  
 Ergò domum properans se moribus abdicat aula,  
 Seq̄ parat tantis, per pia vota, sacris,

Et ducit, moderante DEO, genitoris Iberi  
Progeniem, Schlesia de genitrice satam  
**ANNAM THOBARIDVM** celebri de stirpe  
Baronum  
Quorum apud HISPANOS nobile Stemma  
viret.

Huic junctus sobolem sexus utriusq; modestam  
Progenit, regni membra futura DEI.  
Qua proprio exēplo & monitis instruxit, ad omne  
Virtutis studium corda tenella trahens  
(Nil etenim praecepta juvant si exempla repugnant  
Exemplo, melius, qui docet, ille docet.)  
Imprimisq; animos horum pietatis amore  
Imbuit, hos scriptis eruditq; sacris.  
Quorum adeo studiosus erat scrutator, ut ipsi  
Nil his posterius nil fueritve prius.  
Unde etiam tantos in Religione profectus  
Christifona fecit, Numine dante DEI,  
Ut bene de cunctis quos controversia pungit  
Iudicium posset ferre salubre locis.  
Hinc tanto verbi est complexus amore Ministros  
Qui tradunt fida dogmata sacra fide:  
Haecenus ut multis Arx illius esset Asylon  
Exulibus, miseris perfugiumq; pijs.  
Hinc tanto haereticos zelo insectatus & hostes  
Blasphemos CHRISTI, nil simulando, fuit:  
Ut totum mallet, se contra, impellere mundum,  
Quam non syncero complacuisse viro.

Hincq;

Hincq; triennales patienti corde dolores,  
Martyribus similis, pertulit ille, pius.  
Cumq; daret nullam Medicorum cura salutem,  
Divinae tantum est spe recreatus opis.  
Atq; licet gravibus cruciatibus obrutus esset,  
Nec requiem misero parva vel hora daret.  
Non tamen est animo fractus, nec desinit unquam  
Firmiter in Domi o spem retinere suam.  
Nec quid de studio & zelo fervente remisit,  
Religio auxilio quando tegenda fuit,  
Quin potius constans animo processit in hostes  
Qui Christi, occulto dogmata, Marte, petunt  
Qui Sacramentum Cœnæ violare proterve  
Nil metunt, Christi verba negando DEI.  
Qui gestant animos sub ovilla veste lupinos,  
Qui ficta inflati Religione tument.  
Qui fallunt simulando rudes, dum consona sacre  
Dogmata Scripturæ se quoq; amare ferunt.  
(Vvaldenses proprio depingo colore maniplos  
Quos Varie huc illuc terror & error agit )  
Horum ille occultas, divini lumine verbi,  
Detexit fraudes omnibus atq; dolos.  
Horum etiam invasit jam prodita castra libellis,  
Publica jam notis hostibus arma movens.  
Signifer hinc HEDERICKS erat, qui Numine fretus  
Non hostes timuit primus adire suos.  
Primus adiit, primamq; tulit, post prælia, palmã  
Promeruit causæ quam bonitate suas.

Hæc

Hæc animos IANO victoria læta SPANOFKY  
 Auxit, ad instandum fortiter hisce Viris,  
 Qui tibi ne præceps videatur ad arma ruisse,  
 Vel temere hostili bella parasse manu:  
 Scito quod hæc aliquot satis antè expenderit annis,  
 Autoremq; sibi viderit esse DEVM  
 Quin etiam externas consultum misit in oras,  
 Syncera celebres Relligione Viros.  
 Consuluit sacri Doctores undiq; verbi,  
 Quos fovet in doctis Teutona terra Scholis.  
 Horum iudicio stetit, horum cuncta peregit  
 Hortatu, hos habuit bella per ista duces.  
 Ergò alacri (certus pro CHRISTO bella moveri)  
 Hostes corripuit strenuitate suos,  
 Nil parcens opibus, studio nil, nilq; labori  
 Dum victos verbo cerneret esse DEI,  
 Quod quando obtinuit se sat vixisse putavit,  
 Atq; animam Christo reddidit ac obijt.  
 Tu pia posteritas, cognateq; sanguinis alti,  
 Virtutes tanti fac imitere Viri.  
 Sic generis crescet splendor, sic gloria, vestri,  
 Et qui vos celebret carmine Scriptor erit.  
 Et ne sis dubius quo tempore liquerit orbem  
 Terrenū, astra petens: distichon illud habe  
 ILLE pater patriæ IanVs Spano VichyVs Iplo  
 Natali oCCVbVIt teMpore ChrIste rVo.

IN EF.

IN EFFIGIEM MAGNI-  
FICI Dn. IOHANNIS SPANOFKY  
à Lysau Senioris, Domini in Parzauu Bohæmo-  
rum &c. biennio ante beatam ex his terris mi-  
grationem, ibidem in templo Parochiali,  
locò Epitaphij ab ipso col-  
locatam.

*Aucta fuit nimium cum Secta Boleslaviensis  
Quæ Monachos sequitur, Cinglica castræ  
fovet,*

*Heros nec quisquam curaret, dogmata falsa  
vitari possent quæ ratione pia,  
Vicine hisce locis Hederice Spanofskius abs te  
Mi Doctor peti consilium, studium.  
Prodiit hoc scriptis, sumtu sparsumq; per orbem  
Esse meo fateor, vera tacenda nego.  
Hoc noscat terras Ecclesia sancta per istas,  
Qui malus est tandem desinat esse malus.  
Hæc ita non solum faciem designat imago  
vel corpus, mentis sed quoq; sensa mea.*

IN EFFIGIEM REVEREN-  
DI ET CLARISSIMI VIRI, Dn.  
IOHANNIS HEDERICI S. Theologiæ  
D. eidem proximè ad latus ad-  
iunctam.

*Sancto quæ Zelo nec non pietatis amore  
Heros quærebas, scripsi Hedericus ego.  
Id DEVS*

*Id DEVS, id Verbum, pariterq̄ vocatio iusta  
Poscebant, Christi mens studiosa gregis.  
Inde seæ hostilem quod sensi sæpius iram,  
Candida quæq̄ egi sunt agitata dolo.  
CHRISTO commendo, poterit quem fallere nemo  
Cujus nec possant fallere verba pios.  
Nec vis, sed Verbum valet hic, quæ vera præ-  
muniur,  
Pressa magis lucem sunt habitura suam.  
Unde mihi fuerit fragili quis corpore vultus  
Non modo, sed qualis mens mea perspicitur.*

**FINIS.**





## ERRATA.

A 7. facie i. v. 16. quiete. D 7. b. v. 26. in  
dicare. Ibidem v. 27. venatam. E 2. a. v. 7. Io  
hannem. E 4. a. v. 21. causam. E 6. a. v. 12. ul  
lius. F 1. a v. 20. licet. Ibidem b. v. 5. sine. Ibi  
dem v. 28. corpore. F 4. a. v. 4. regat. F 5. b.  
v. 3. eodem. Ibidem v. 5. cælo. G 2. b. v. 14. in  
vaserant. H 7. b. v. 18. eum. I 1. b. v. 4. quo.  
I 5. b. & ex. I 7. b. v. 16. Ministerium. I 8. a.  
v. 18. impendat. M. 2. a. v. 9. præferenda. M. 3.  
b. v. 13. quidam. M. 8. a. v. 13. ulla. N 1. a. v.  
2. evoluent. O 5. b v. 10. defendendum. O 6. b.  
v. 22. Mysterio. P. 8. b. incitatus. S 1. a v. 1. in  
pariore. T. 5. b. v. 19. eos teste. V. 1. a. v. 18.  
locis. Y 8. a. v. 4. Impius. Z 3. b. v. 11. ad no  
minis. Z 5. a. v. 9. recepi. Z 6. a. v. 23. Theo  
logiæ elementa. Z 7. b. v. 3. ut quilibet. Ibidem  
v. 24. inferendum sequitur. A a 1. b. v. 8. con  
trariarum. A a. 8. b. v. 16. conjunxerint.

Handwritten text at the top of the page, possibly a title or header, which is mostly illegible due to fading.

Main body of handwritten text, consisting of several lines of cursive script. The text is extremely faded and difficult to decipher, but appears to be a list or a series of entries.





